

TRACTATUS IV.

DE EUCHARISTIA

S. Alf. lib. 6. H. A. tr. 15.

Quoniam augustissimum Eucharistiae mysterium simul Sacramentum est et Sacrificium, hanc materiam in duas partes distribuimus: in priori de Eucharistia, prout Sacramentum est, disputabimus; in posteriori de Sacrificio Missae.

Pars Prior

De Sacramento Eucharistiae.

Tractanda erunt: 1º notio et effectus Eucharistiae; 2º materia et forma eius; 3º minister; 4º subiectum recipiens; 5º custodia et cultus SS. Eucharistiae.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS EUCHARISTIAE

Articulus I.

Notio Eucharistiae.

99. — **Notio.** Eucharistia est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animae refectionem. — Christus hoc tam admirabile Sacramentum, ait Trid. sess. 13. cap. 1. et 2, in ultima Coena perspicuis verbis instituit.

100. — **Notanda.** 1º DIFFERENTIA AB ALIIS SACRAMENTIS. Commune est Eucharistiae cum caeteris Sacramentis, ait Conc. Trid., symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod caetera Sacraenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis ilitis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. (Trid. sess. 13. cap. 3.)

Dum igitur caetera Sacra menta perficiuntur in ipso usu et applicatione ad recipientem, et proin sunt *transeuntia*, Eucharistia in materiae consecratione perficitur, estque Sacramentum *permanens*, utpote in re permanenti consistens; et usus seu administratio eius est etiam perfecti Sacramenti ad hominem sanctificandum applicatio.¹⁾ (n. 189.)

2º SACRAMENTUM ET RES SACRAMENTI. In Eucharistia, sicut in aliis Sacramentis, distinguenda sunt: sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum. *Res tantum* est spiritualis animae refectio; *res et sacramentum* est Corpus et Sanguis Christi, quod significatur praesens in ratione cibi et potus per species consecratas et significat (et efficit) spiritualem animae refectionem; *sacramentum tantum* sunt species panis et vini consecratae seu species informatae verbis consecrationis, quae significant Corpus et Sanguinem Christi praesentia in ratione cibi et potus. (n. 189.)

3º UNITAS SACRAMENTI. Quamquam in Eucharistia sunt duae species consecratae, hae tamen non constituant duplex specie vel numero Sacramentum, sed ex duobus integratur *unum* Sacramentum, unum dico *formaliter et perfective*, tamquam unum perfectum signum Sacramentale quod ex duobus integratur. Ordinatur enim hoc Sacramentum ad spiritualem animae refectionem; una autem perfecta refectio ex duobus integratur, ex cibo et potu; ideo et hoc Sacramentum est unum quod ex duobus integratur, ex Corpore Christi sub specie panis in modum cibi et ex Sanguine Christi sub specie vini in modum potus.²⁾

Tamen, ut declarat Conc. Trid. (sess. 21. cap. 3), sub altera tantum specie sumitur totus atque integer Christus verumque Sacramentum: ideoque, quod ad fructum attinet, *nulla gratia necessaria ad salutem* ii defraudantur, qui unam solam speciem recipiunt. Imo secundum communiorem theologorum sententiam communio sub alterutra specie sufficit ad *totum* Sacramenti fructum assequendum. (n. 191. n. 227.)

101. — Realis praesentia Christi in Eucharistia. Dogma catholicum circa realem praesentiam Christi in Eucharistia haec praincipia capita complectitur:

a) In sanctae Eucharistiae Sacramento post panis et vini consecrationem D. N. J. Ch. *vere, realiter et substantialiter* continetur. (Trid. sess. 13. cap. 1.)

b) Christus fit praesens in Eucharistia per *transsubstantiationem*, h. e. per mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini. (Trid. sess. 13. cap. 4.)

c) Peracta consecratione sub *unaquaque* specie et sub *singulis* cuiusque speciei *partibus* separatione facta, *totus Christus, Corpus et Sanguis, una cum Anima et Divinitate* continetur (Trid. sess. 13. cap. 3. can. 1. et can. 3.)

¹⁾ Cfr. Catech. Rom. P. II. de Buch. n. 9; S. Thom. III. qu. 73. a. 1. ad 3, qu. 80 a. 1. ad 1.

²⁾ Cfr. Catech. Rom. P. II. de Euch. n. 10; S. Thomas III. qu. 73. a. 2.

Vi verborum sub specie panis praesens est Corpus Christi, sub specie vini Sanguis Christi; vi naturalis connexionis et concomitantiae sub specie panis praesens est Sanguis Christi, sub specie vini Corpus eius, et sub utraque Anima eius; dein propter hypostaticam unionem sub utraque est Divinitas (Trid. sess. 13 cap. 3.)

d) Quia in Eucharistiae Sacramento statim a peracta consecratione Christus est realiter praesens, hoc Sacramentum *cultu latriae* etiam externo adorandum est. (Trid. sess. 13. cap. 5. can. 6.)

Quaestiones. QUAER. 1º QUAMDIU permaneat *Christus praesens sub speciebus*.

Resp. Tamdiu conservatur praesentia Christi sub speciebus, quamdiu species permanent integræ, ita ut sub eis posset substantia panis vel vini conservari; desinit Christus sub eis esse, quando in eis facta est alteratio seu corruptio sufficiens ad panis vel vini corruptionem, si eis subesset. Cessantibus speciebus panis et vini, desinit ibi esse Corpus et Sanguis Christi et succedit ea substantia quae generata fuisset ex substantia pánis et vini si subessent.

QUAER. 2º *Si qua gutta vini consecrati MISCEATUR CUM VINO NON CONSECRATO, prout fit in purificatione calicis post Communionem Missæ, an ibi maneat Sanguis Christi.*¹⁾

Resp. Controv. Alii negant cum S. Thoma.²⁾ Ratio eorum est: si admixtio est tanta ut pertingat ad totum vinum consecratum non manet ibi eadem species numerica nec pars eius; quia species consecratae non manent separatae, sed totum fit permixtum et individuatur a vino copiosiori. Iamvero, Sanguis Christi non manet sub speciebus, nisi species maneant eaedem numero; consecratur enim *hic* panis et *hoc* vinum.

Alii tamen affirmant ibi manere sanguinem Christi; quia, ita ipsi, nulla ibi est corruptio, nec quoad speciem, nec quoad individuum; species enim consecratae manent eaedem numero, licet in plures partes divisae.³⁾ Accedit quod antiquitus, cum populo sub specie vini exhibebatur Eucharistia, vinum non consecratum, ut postulabat numerus communicantium, in calicem infundi consuevit.⁴⁾

QUAER. 3º INTRA QUANTUM TEMPUS species corrumpantur in stomacho.

Resp. Id multum a diversa diversorum hominum virtute digestiva pendet. Antiquiores medici et theologi censebant utramque speciem etiam in Sacerdote post quadrantem consumptam esse. (n. 225. 283.) Secundum medicos hodiernos longius tempus requiritur. Capellmann censem, hostiam tam maiorem quam minorem, et speciem vini, in stomacho sano non nisi intra semihoram *plene* corruptas esse.⁵⁾ Alii adhuc multo longius tempus requirunt, praesertim pro quibusdam infirmis⁶⁾; secundum ipsos apud quosdam infirmos fragmenta incorrupta inveniri possunt etiam post duas vel tres horas.

¹⁾ Quoad admixtionem aquae cfr. infra n. 111. Quoad admixtionem caeterorum liquorum, cessat praesentia Christi, si per admixtionem species vini substantialiter corrumpuntur. Hinc in genere, si *in magna quantitate* aliis liquor admisceatur, non manet ibi Sanguis Christi; aliquorum tamen liquorum iam parva quantitas sufficit, quia isti liquores in hac iam parva quantitate species substantialiter corrumpunt.

²⁾ S. Thom. 3. qu. 77. a. 8.

³⁾ Cfr. Lugo de Euch. Disp. X. n. 41; Suarez. de Sacram. Disp. 57. Sect. 4.

⁴⁾ Cfr. Bened. XIV. de Sacr. Missæ L. III. cap. 10. n. 17.

⁵⁾ Capellmann. Medic past. edit. lat. 4^a. p. 122. (edit. germ. 16^a. p. 207.)

⁶⁾ Cfr. Gasparri. de Euch. n. 1194; N. K. St. 1922. p. 141 et p. 182.

Haec attendenda sunt ad statuendum tempus pro vomitu forte ex indicatione medici procurando aut stomacho lavando, quod per se graviter illicitum est, quamdui probabilis est permancio specierum; neenon in observanda rubrica Missalis de comburendo vomitu ab infirmo emiso ubi prudenter timetur ne in ipso sacrae species adhuc adsint.¹⁾

Articulus II.

Effectus Eucharistiae.

102. — Effectus. I. *Effectus Eucharistiae in ANIMA sunt:* 1º *Gratia sanctificans*, per se secunda seu augmentum gratiae sanctificantis, per accidens prima; quod est commune omnibus Sacramentis vivorum. Cfr. supra n. 3. IV.

2º *Gratia sacramentalis* propria huius Sacramenti, quae importat auxilium divinum ad fovendam et perficiendam unionem cum Christo et transformationem hominis in Ipsum per charitatem; ut ipse promisit apud Joan. vi. 57: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo». Charitas autem perficitur in habitu et excitatur in actu.

3º *Animi devotio et charitatis fervor*, cum speciali *spiritus dulcedine*, quemadmodum corporalis cibus oblectat et vires confortat; qui effectus est quidem infallibilis, si non impediatur a parte subiecti. Consistit autem haec suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas.

4º *Remissio peccatorum venialium*, secundum Trid. sess. 13. cap. 2, quod vocat Sacramentum hoc «antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur.»

Confert remissionem illam, non immediate, ut plures volunt, sed quatenus excitat actum displicantiae explicitum vel implicitum peccatorum venialium; praesertim excitando actus fervidos charitatis, in quibus ratione fervoris iam implicita displicantia peccatorum venialium continetur.²⁾

5º *Dimissio poenae temporalis* peccatis debitae, secundum valorem actuum charitatis, qui hoc Sacramento excitantur.

6º *Adeptio gloriae*; quia hoc Sacramentum specialiter datum est ad perseverandum in gratia, ut in fortitudine huius cibi pervenire possimus usque ad montem Dei: hunc effectum promisit Christus apud Joan. vi. 59: «Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.»

II. Effectus IN CORPORE sunt: 1º *Diminutio concupiscentiae*, fomitisque peccati. Hoc enim Sacramentum est antidotum ad praeservandum hominem a peccatis mortalibus; unde, cum fomes peccati sit veluti primus

¹⁾ Miss. Rom. *de defect. tit. 10. n. 14.*

²⁾ Cfr. S. Thom. 4 *dist. 12. qu. 2. a. 2. sol. 1*; item *dist. 16. qu. 2. a. 2. sol. 2. et 4*; *de Malo. qu. 7. a. 12*; III. *qu. 79. a. 4*; III. *qu. 87. a. 1. 2. et 3.*

fons et origo peccatorum, non potest suavius neque efficacius hominem a peccatis praeservare, quam fomitem ipsum mitigando et ad operandum bonum hominem confortando.

2º *Resurrectio et gloria*, proprio et speciali titulo, scil. propter unionem corporum nostrorum cum vivifica carne Christi, quae est causa resurrectionis nostrae: hunc effectum promisit Christus apud Joan. vi. 55: «Ego resuscitabo eum in novissimo die.» (n. 269.)

103. — Quaestio. *Quando recipiatur gratia in Eucharistia.*

Resp. 1º In ipsa *manducatione*¹⁾, i. e. in traiectione ex ore in stomachum, vel, secundum alios, cum primum sacra species in stomacho recipitur.

Hinc inferes: a) Si sacrae species in ore dissolvantur vel statim ex ore eliciantur, non recipitur gratia, quia deest manducatio. b) Si Sacerdos Hostiam sumpsisset indispositus et dein se disponeret, acciperet gratiam in sumptione Sanguinis. (n. 227.)

2º Eucharistia probabiliter *auget* gratiam toto tempore, quo in stomacho Christus sub speciebus manet praesens, dummodo augeatur subiecti dispositio; ratio est, quia Eucharistia gratiam producit in modum cibi nutrientis.

Quamobrem non est carpenda devotio Sacerdotis, qui multum materiae sumit ad Consecrationem, ea mente, ut diutius secum Christus maneat et amplius gratiam augeat; attamen Innoc. XI²⁾ damnavit abusum tradendi communicantibus plures hostias simul, vel solito grandiores. (n. 228.)

Nota. Sunt aliqui³⁾ qui sentiunt eum qui in ipsa manducatione, propter suam indispositionem, non recipit gratiam Sacramenti, adhuc ipsam recipere si sese disponat quando adhuc praesentia Christi perdurat. Quae sententia non omni probabilitate caret. (n. 87. n. 227.)

CAPUT II.

MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE

Articulus I.

Materia.

Agemus: 1º de materia generatim; 2º de materia panis; 3º de materia vini; 4º de conditionibus a parte materiae necessariis Consecrationi.

§ I. - MATERIA GENERATIM.

104. — *Principia. I. Materia remota, ex qua conficitur Corpus et Sanguis Christi, sunt panis et vinum.* De fide est, ut patet tum ex S. Scriptura, tum ex perpetua et universalis doctrina Ecclesiae.⁴⁾

¹⁾ Cfr. S. Thom. 3. *qu. 80. a. 8. ad 6.*

²⁾ Decr. de quot. Comm. 12 Febr. 1679.

³⁾ Ita Cai. in 3. *qu. 79. a. 1;* Croix *lib. 6. part. 1. n. 200.*

⁴⁾ Cfr. Conc. Lateran. IV in cap. *Firmiter*; Decr. pro Armenis; Conc. Trid. sess. 13. cap. 1-4. sess. 22. cap. 1; C. I. O. can. 801. 815.

Rationes congruentiae sunt, quia hoc Sacramentum institutum est: 1º ad spiritualem refectionem, quae constare debet ex cibo et potu; 2º ut memoriale Dominicae Passionis, in qua sanguis est a corpore separatus; ideo seorsum consecrantur panis et vinum.¹⁾

II. *Non licet, ne in extrema quidem necessitate, ad dandum viaticum moribundo, alteram materiam sine altera consecrare.* Ita ex can. 817. Hoc certo est grave praeceptum Ecclesiae; imo, cum communi DD. omnino tenendum est esse divinum.²⁾ (n. 195. 196.)

Hoc praeceptum divinum implieite continetur in exemplo Christi cum verbis adiunctis: «*hoc facite in meam commemorationem*»; quae verba sic interpretatur Trid. sess. 22. cap. 1: «*Christus Corpus suum et Sanguinem sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent praeceperit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit*». Unde patet in verbis allatis Christi hoc praeceptum contineri quatenus: a) Christus Apostolis iniunxit idipsum facere quod Ipse fecerat, h. e. utriusque speciei consecrationem; b) ex institutione Christi huius Sacramenti confectio sit sacrificii oblatio oportet: ad Sacrificium autem Eucharisticum utriusque speciei consecratio requiritur.³⁾; c) quia secus Eucharistia etiam in ratione *Sacramenti*, secundum quam in modum perfectae refectionis instituta est, manet *imperfecta*.⁴⁾

105. — Quaestiones. QUAER. 1º *An Pontifex possit in hoc praecepto dispensare.*

Resp. Affirmant aliqui; quia iuxta Trid. sess. 21. cap. 2. potest Ecclesia in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, statuere vel mutare.

Negant vero communius; quia non potest Ecclesia divinam institutionem mutare in modo conficiendi Sacraamenta et offerendi Deo Sacrificium.

Quamobrem prima sententia nec unquam in proxim deduci potest, nec unquam Ecclesia in hoc praecepto dispensavit aut dispensabit. (n. 196.)⁵⁾

QUAER. 2º *Utrum consecratio unius materiae sine altera valida sit.*

Resp. 1º Certo forma consecrationis panis statim suum effectum habet antequam forma consecrationis vini proferatur; similiter certo valida est consecratio unius tantum materiae si sacerdos simpliciter consecrat hanc materiam, quin *positivam* habeat intentionem hanc *tantum* materiam consecrandi sine altera.

2º Etiam si sacerdos consecrare positivam intentionem habeat consecrandi unam tantum materiam sine altera, secundum communiores et probabiliorem theologorum sententiam consecratio valet.⁶⁾ Ratio est: a) in omni Sacramento, semper ac minister formam profert super materiam cum debita intentione, perficitur Sacramentum; b) utraque forma per se completam habet significationem: ergo non pendet ab alia, in significando, nec proinde in efficiendo.

Nota tamen quod tam in primo casu quam in altero, si alterius materiae consecratio deficiat, secundum communiores theologorum sententiam *non perficitur Sacrificium*, quia ad essentiam Sacrificii Eucharistici requiritur utriusque materiae consecratio.⁷⁾

¹⁾ Cfr. S. Thom. 3. *qu. 74. a. 1.*

²⁾ Cfr. Bened. XIV *de Missae Sacrif. sect. 2. n. 83. edit. Lov. (lib. 3. c. 10. a. 18 etc.)*

³⁾ Cfr. infra n. 182. *qu. 2.*

⁴⁾ Cfr. S. Thom. 3. *qu. 74. a. 1 ad 2*; cfr. et supra n. 100.

⁵⁾ Cfr. Bened. XIV. *l. c.*

⁶⁾ Cfr. S. Thom. 4 *dist. 8. qu. 2. a. 4. sol. 1; 3. qu. 78. a. 6;* Bened. XIV. *l. c.*

⁷⁾ Cfr. infra n. 182. *qu. 2.*

§ II. - MATERIA PANIS.

106. — *Materia valida.* I. *Solus panis triticeus est materia valida,* ita ut in alio non perficiatur Sacramentum. Constat ex perpetua traditione, ex Decreto Eugenii IV dicente: «Cuius materia est panis triticeus», et ex Missali Rom. de defect. tit. 3: «Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.» (n. 198.)

II. *De necessitate huius materiae est, ut panis sit:* 1º *ex farina triticea et aqua naturali subactus;* 2º *igne coctus in modum panis;* 3º *non substantialiter corruptus, neque corruptioni proximus.* Ratio, quia materia huius Sacramenti est panis triticeus purus. (n. 198.)

107. — Porro: 1º Triticum non sunt secale, hordeum, avena, panicum, maizium, oriza, et similia grana. (n. 199.)

2º Dubium est an spelta sit revera triticum; quapropter nunquam licet illa tuti ad conficiendum Sacramentum. (n. 200.)¹⁾

3º Num valida sit materia, si pani triticeo commixta sunt alia frumenta, distinctione opus est: si *modica* est admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, erit valida, quamvis graviter illicita; quia non mutat speciem panis. Si vero *magna* est admixtio, puta aequalis vel fere aequalis, non erit valida, quia speciem mutat. (n. 201. S. Thom. 3. qu. 74. a. 3. ad 3.) Si admixtio, quamquam non aequalis, notabilis tamen est, erit materia dubia.²⁾

Sedulo cavendum est ab adulteratione farinae triticeae, quippe quae hodie frequens sit; variationes autem accidentales non nocent, ut triticum vulgare, durum, turgidum.

4º Non est materia apta panis subactus lacte, vel, quod maius est, ovis, oleo, vel butyro; nisi modica quantitas, puta lactis, sinat aquae naturalis in formanda massa maximam esse partem. Neque idonea materia est cruda farinae massa, vel non cocta in modum panis, sed frixa vel elixa in modum placentae vel pultis. (n. 199. 201. Exam. Ordin. n. 97.)

108. — Materia licita. Ut materia sit licita, requiritur:

1º Ut sit *certo valida*: tenetur enim minister in conficiendis Sacramentis materiam certam adhibere ob reverentiam erga Sacramentum; cfr. supra n. 14.

2º *Ex gravi praecepto Ecclesiae* ut sit *azymus vel fermentatus secundum proprium* celebrantis ritum. Unde sacerdos ritus latini celebrare tenetur in azymo, ubicumque Sacrum litet, etiamsi in altari consecrato alterius ritus catholici; sacerdos ritus orientalis in fermentato (exceptis nonnullis orientalibus, qui azymo utuntur.)³⁾ Ita ex can. 816. et 823. § 2.

¹⁾ In aliquibus tamen regionibus hoc nomen designat *triciti* speciem eamque optimam; tunc est materia valida, uti patet. Cfr. Marc. n. 1519; Génicot. II. n. 169.

²⁾ Cfr. S. C. de disco. Sacr. 16 Martii 1929. A. A. S. 1929. p. 632. I.

³⁾ Cfr. S. C. de Prop. Fide. 20 Maii 1838.

Hinc iam dirempta est quaestio olim inter auctores agitata, in quonam celebrare teneatur Latinus transiens per loca Graecorum¹⁾; ex can. 816 et 823. § 2 sequitur celebrantem teneri ubicumque proprium ritum sequi, etiamsi celebret in ecclesia et in altari alias ritus. Si deest panis proprii ritus, iam creditur cum pane alieni ritus celebrari posse extra proprium territorium, etiam devotionis causa.

3º Ut panis sit *incorruptus, recens, purus, mundus et integer, in figura praescripta.*

Dicitur: 1º *incorruptus*. Panis aliquantulum mucidus est quidem materia valida, sed graviter illicita. (n. 201.)

2º *recens*. Praescribit enim can. 815. § 1: Panis debet esse recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis. Item Rit. Rom. (tit. 4. c. 1. n. 7.): Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes. Sint igitur non ultra quindecim dies, vel ad summum non ultra mensem confectae. Consuetudo consecrandi hostias a tribus, imo a sex mensibus confectas, a gravi peccato excusari nequit.²⁾

3º *purus*. Dicit enim can. 815. § 1: panis debet esse *mere triticeus*; unde nec in minore quantitate aliis rebus admixtus, nec sale nec saccharo nec alio condimento; cfr. supra n. 107.

4º *mundus et integer*. Secluso autem scando, est solum veniale sine rationabili causa consecrare hostiam fractam vel maculatam; nisi tamen fractura vel macula esset enormis, nam tunc foret mortale; nihilominus, si deprehendatur post oblationem, licite consecrabitur, secluso scando populi.

5º *in figura praescripta*; porro in Ecclesia Latina hostia debet esse orbicularis et maior pro Sacerdote celebrante; soletque in hac signum crucis imprimi, ut constans fuit Ecclesiae consuetudo. Si autem maior hostia desit, probabiliter potest Sacerdos, etiam solius devotionis causa, celebrare cum hostia minori, modo absit populi scandalum, quod praecaveri potest monendo populum de defectu hostiae majoris. (n. 204. 205. Exam. Ord. n. 97.)

109. — Quaestio. An in necessitate, ad praebendum Viaticum infirmo, possit Sacerdos Latinus consecrare in fermentato.

Resp. Negat communis et probabilior sententia, contra paucos; quia in hoc casu reverentia erga tantum Sacramentum et Ecclesiae consuetudo praeferebatur sunt utilitati proximi, cui hoc Sacramentum non est absolute necessarium. Attamen est qui id, attenta mitiori disciplina Codicis in can. 855 et praesertim in can. 866, iam pro licto habet.³⁾

Esset tamen licitum *ad complendum sacrificium*, puta si post vini consecrationem panis deprehendatur corruptus, nec alias panis azymus adesset. (n. 203.)

¹⁾ Cfr. de hac re S. Alph. VI. n. 203.

²⁾ S. R. C. 16 Dec. 1826. n. 2650. Imo praxis sibi comparandi hostias quae duobus vel tribus mensibus sufficiente reprobata fuit a S. C. de disc. Sacr. 7 Dec. 1918. (Cfr. A. A. S. 1919. p. 8.) Hostiae quidem diu conservari possunt absque corruptione, ut videre est in N. K. St. 1901. p. 322-328; sed obligatio oritur ex praescripto Ecclesiae.

³⁾ Ita Cappello, de Euch. I. n. 281.

Nota licere quidem in casu urgentis necessitatis ei qui azymo utitur ministrare sanctam communionem in fermentato et viceversa. Ita ex canone 851. § 2. Cfr. supra n. 17. III.

Imo sunt qui iam confectionem Eucharistiae in pane alieni ritus permittunt si necesse est ad Viaticum ministrandum attenta mitiore disciplina hodierna in can. 855 et praesertim 866. Non tamen permittunt uti pane alieni ritus ob solum iter in territorio talis ritus, ut olim cum S. Alfonso (n. 203) permittebatur; nisi, ita addiderim, ob defectum panis proprii ritus.¹⁾

§ III. - MATERIA VINI.

110. — Materia valida. I. Materia necessaria sine qua Sanguis Christi confici nequit est *vinum de vite*. Probatur exemplo Christi, qui in hoc vino consecravit, ut patet ex verbis eius apud Matth. xxvi. 29: «non bibam amodo ex hoc genimine vitis»; et ex Decreto Eugenii IV dicente: «Cuius materia est... *vinum de vite*.» Confirmatur can. 815. § 2.: «Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.» (n. 206.)

II. Porro ut vere vinum de vite habeatur, requiritur ut sit: 1º succus uvarum, 2º expressus ex uvis et quidem, 3º ex uvis maturis, 4º non substantialiter corruptus.

INVALIDA igitur materia est²⁾: 1º Liquor *ex aliis fructibus* expressus, licet cum vino de vite habeat similitudinem. — Item liquor *arte chimica* confectus, etsi iisdem elementis constet ac vinum naturale.³⁾ — Item *lora*, quae fit aqua in magna copia expressis acinis superfusa. Quodsi magna copia succi in uvis expressis relictus sit, materia potest esse dubia.

2º Succus *ad hic in uvis contentus*: necnon vinum in offa panis imbibitum.

3º *Omphacium seu agresta*, i. e. succus ex uvis penitus acerbis seu immaturis, ita ut succus non habeat speciem vini.

4º *Acetum*; acescentia enim completa vinum substantialiter corruptum indicat. Incipiente tantum acescentia, materia est valida, sed illicita. Nec vinum bonum sed ex naturali acrimonia gustum *acidum* habens, putetur esse «acescens». Nec acescit vinum, si iterata fermentatione laboret.

5º Vinum *penitus putridum*, ita ut potabile non sit. Si vinum incipit putrescere, idem ac de incipiente acescentia dicendum est. Nullus vero scrupulus habendus est si vinum sit *turbidum*.

6º *Vappa*, i. e. vinum penitus evanidum. — Item vinum in quo alcohol (spiritus vini) non continetur; quum enim alcohol sit essentiale elementum vini, talis liquor vinum non est. Cfr. Cappello n. 276; Noldin n. 107.

7º *Sapa seu defrutum*, i. e. mustum ad dimidiā vel tertiam partem decotum; quoniam potius cibus evasit. Item spiritus vini.

¹⁾ Cfr. Cappello, *de SS. Euch.* I. n. 281. 282.

²⁾ Cfr. Missale, *de defectibus*. IV. 1.

³⁾ Notes hodie multa etiam ex sic dictis bonis vinis confici, uvis iam expressis pluries infundendo aquam *cum solutione sacchari*, ita ut obtineatur quantitas vini triplo vel quadruplo maior quam quantitas naturaliter ex uvis elicita. Maxima igitur cautela adhibenda est in vino pro Sacrificio Missae eligendo. Cfr. Gasparri, *de SS. Euch.* n. 821; Génicot. II. n. 171.

8º Vinum cui tantum aquae vel alius substantiae admixtum est, ut sit substantialiter corruptum. Quantum alienae materiae vinum substantialiter corrumpat, pendet a natura liquoris admixti. Pro admixtione aquae, et in genere si solam *quantitatem* alienae materiae inspicias, valent normae pro pane expositae. (cfr. supra n. 107. 3º.)

111. — **Materia licita.** Ut materia licita sit, requiritur: 1º Ut sit materia *certo valida* et ut vinum sit *perfectum, purum, omnino incorruptum* (n. 207.)

ILLICITA igitur materia est, quamvis non sit materia invalida¹⁾: 1º *Mustum*, i. e. vinum ex uvis maturis recens expressum, nondum fermentatum²⁾ nec defaecatum; quia quamvis in substantia sit vinum, tamen non est perfectum, utpote nondum fermentatum nec defaecatum; dein continet faeces non consecrabiles. Tale vinum consecrare per se grave peccatum foret.

2º Vinum *alio liquore vel aromate modice commixtum*. Quodsi immodica fiat admixtio, materia evadit invalida aut saltem dubia. Permittitur tamen admsciri parvam quantitatem alcohol ad vinum conservandum.³⁾

3º Vinum *foeculentum sive turbidum*.

4º Vinum *acescens* vel *putrescens*, ea sc. acescentia quae inceptam corruptionem indicat.⁴⁾ De quo dicit Missale: «Si vinum cooperit acescere vel corrumpi.... conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat»⁵⁾: nimirum, ob reverentiam erga Sacramentum. Nihilominus, deficiente alio vino, licet uti vino tantum *parum acescente* seu *non notabiliter* acido: quia rubrica non videtur cum tanto rigore interpretanda ut hoc etiam excluderet. Praeterea notat Benedictus XIV. «Ille sacerdos culpa immunis et vacuus declaratur, qui Sacrum facere beat, nec tamen commutandi vini potestatem habeat, quod Regularibus contingit. Tunc enim (nisi vinum corruptum fuerit, sed acescere solum incepit) in Praesides omnis culpa confertur, aut in ministros, qui vinum ad Missae Sacrificium suppeditare tenebantur».⁶⁾

5º Vinum *congelatum*. Est materia certo graviter illicita; an vero sit materia invalida cfr. infra n. 112.

2º Ut vino sit *admixta modicissima aqua*. (can. 814.) Ita fert traditio antiquissima in Ecclesia. Constat insuper ex Decreto Eugenii et ex Trid.

¹⁾ Cfr. Missale, *de defect. t. IV. n. 2.*

²⁾ Etiam mustum nondum fermentatum validam esse materiam patet ex Missali (*de defect. t. IV. n. 2.*); «Si mustum de uvis tunc expressum..., conficitur Sacramentum»: similiter ex c. 7. D. II. de Consecratione, in Decreto: «Si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aqua misceatur».

³⁾ Licet visitoribus vino debili admiscere spiritum vini seu *alcohol*, dummodo: 1º ex genimine vitis extractus fuerit, 2º eius quantitas, addita cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem 12 %, 3º admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere incepit. Imo vinis generosis, praesertim dulibus, licet attingere proportionem 17 vel 18%, si pro tuta eorum exportatione opus sit. Ita declaraverit, Leone XIII approbante, S. Offic. 30 Iulii 1890, 5 Aug. 1896. Cfr. etiam S. Off. 25 Iunii 1891. (A. A. S. 1929. p. 632-633.)

⁴⁾ Dicta valent de acescentia quae ex incepta vini corruptione provenit, non de acrimonia quadam quae est naturalis aliquibus vinis in statu omnino incorrupto. Quae acrimonia nec invalidam nec illicitam facit materiam; imo non expedit eam corrigeri introducendo aliam extraneam materiam, ut declaravit S. Off. 27 Aprilis 1892. (cfr. Gasparri, l. c. 818) (n. 207.)

⁵⁾ *De defect. t. IV. n. 2.*

⁶⁾ *Instil. 77. n. 2.*

sess. 22. cap. 7. Rationes huius praecepti ex Trid. l. c. sunt: 1º exemplum Christi, qui ita fecisse creditur; 2º ut significantur aqua et sanguis, quae de latere Christi fluxerunt; 3º ut reprezentetur ipsius populi fidelis cum capite Christo unio. — Praeceptum hoc obligat *sub gravi*, ut declarat Missale Rom. *de defect. tit. 4. n. 2.* (*n. 208. Exam. Ordin. n. 98.*)

De hac mixtione aquae notanda sunt: *a)* Aqua debet esse naturalis; graviter peccaret qui aliam quam naturalem aquam misceret. *b)* Quoad quantitatem aquae in calice miscendae, sufficit una gutta; quia quantumcumque apponatur, significatio servatur. Probabiliter potest vino mediocri sine scrupulo infundi usque ad quintam partem aquae, ut dicunt DD. Aliqui censem sufficere quod aqua non excedit tertiam partem; sed hanc opinionem DD. non admittunt, nisi vinum sit generosum. In praxi semper tutius est *parum* aquae apponere, praecipue si vinum est debile, ideoque non excedere octo vel decem guttas. (*n. 210. Exam. Ordin. n. 98.*)

Quoad alias circumstantias: 1º mixtio facienda est non in dolio aut ampulla, sed ad altare in ipso calice; 2º circa tempus et ministrum mixtionis servandae sunt rubricae Missalis, quae eas circumstantias praescribunt; 3º si omissa fuerit aquae mixtio, et ante Consecrationem advertatur, statim facienda est; si vero facta iam fuerit Consecratio vini, omitenda est, ut praescribit Missale *de defect. tit. 4. n. 7.* (*n. 208.*)

112. — Quaestiones. QUAER. 1º *An apta materia sit vinum EX UVIS PASSIS EXPRESSUM.*

Resp. Affirm., dummodo rite praeparatum fuerit, ita ut, «ex colore, odore, et gustu dignoscatur esse verum vinum». *Licet* etiam cum eo celebrare in illis regionibus, in quibus magna est vini penuria. Ita declaravit S. Offic. 22 Iulii 1706 et 7 Maii 1879.¹⁾ (*n. 226.*)

QUAER. 2º *An VINUM CONGELATUM vere sit materia valida.*

Resp. Quidam negant; quia non habet rationem potus. Sententia tamen verior, (imo vera), affirmat; tum quia de sua natura est potabile et ad potum inserviens, tum quia per congelationem non amittit naturam vini, cum post liquefactionem maneat vinum sicut antea. Id luculentur confirmatur ex Missali Rom. *de defect. 10. n. 11.* praecipiente species Sanguinis congelatas liquefieri et sumi a Sacerdote velut consecratas; quod supponit congelatione species vini minime corrumpti; alias ibi desineret esse Sanguis Christi.

Est tamen graviter illicitem propter reverentiam Sacramento debitam.

Ex dictis infertur, quod si vinum congelatum ante Consecrationem liquefiat, licite possit consecrari. Et quando Sacerdos illicite consecravit vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato, nec licite posset aliud vinum consecrare; quia prima sententia vietatur nulla pollere solida probabilitate. (*n. 207.*)

113. — Nota pro praxi. Maiores nostri vinum optimum ad Sacrificium Missae seligebant quemadmodum ex Innoc. III. appareat: «Diligenti studio, inquit, vinum optimum quaerendum est.» Imo, abusum omnino non ferendum vocat Bened. XIV, si ad Missam deterius adhibeatur vinum, quam quod ad profanas mensas adhibetur.²⁾ Caput tamen rei est ut vinum genuinum habeatur; in quo negotio nostro tempore magna cautela opus est, ita ut iam fere alia via non sit quam ut vinum pro Missa a personis omnino fide dignis, qui sciunt quaenam

¹⁾ *Coll. de Prop. Fide. n. 270. 1518.*

²⁾ *Inst. 77; De Sacrificio Missae sect. 2. n. 81. (lib. III. c. X. n. 15.)*

hae in re observanda sunt, ematur. Perinde porro est sive album sive rubrum est vinum; quamquam propter linteorum munditiam album adhiberi solet. (n. 207.)

SCHOLION

De officio celebrantis in defectu occurrente.

114. — QUAER. 1º *Quid agere debeat Sacerdos, si in Missa advertit hostiam esse corruptam aut non esse triticeam.*

Resp. 1º *Si ante consecrationem, remota illa hostia aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit.*

2º *Si post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, sed ante Sanguinis sumptionem, posita alia faciat oblationem, saltem mente conceptam, et consecret illam incipiendo a verbis: Qui pridie quam pateretur; dein sumat illam, etiamsi forte priorem invalidam iam sumpserit. Hostiam illam priorem, si non sumpserit, sumat post sumptionem Sanguinis, aut alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet.*

3º *Si post sumptionem Sanguinis, apponi debet novus panis et vinum cum aqua; et facta oblatione ut supra, utrumque consecret, incipiendo a verbis: Qui pridie; dein statim sumat utrumque et prosequatur Missam. Ita Missale de defect. tit. 3. n. 4-6.*

QUAER. 2º *Quid agere debeat Sacerdos, si in Missa advertit vinum non esse in calice, sed aquam vel vinum corruptum.*

Resp. 1º *Si ante sumptionem Corporis id percipiat, debet, deposita inhabili materia in aliquo vase, statim ponere vinum cum aqua in calice, et, facta oblatione saltem mente concepta, consecrare, incipiendo a verbis: Simili modo etc.; dein prosequatur ubi desivit.*

2º *Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel istiusmodi inhabilis materiae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret incipiendo a verbis: Qui pridie, et sumat, quamvis non sit ieunus. Vel, si Missa celebratur in loco publico ubi plures adsunt, ad evitandum scandalum poterit apponere solum vinum cum aqua, et, facta oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere, et prosequi caetera. Ita Missale de defect. tit. 4. n. 4 et 5.¹⁾*

Advertendum, quod si Sacerdos deprehendat se aquam vel vinum corruptum sumpsisse, dum habet in ore, non debet exspuere, ob periculum eiendi particulam hostiae, et ob indecentiam; sed deglutire, ut recte dicunt Lugo et alii. (n. 288.)

QUAER. 3º *Quid si post consecrationem prudenter dubitet annon materia sit valida?*

Resp. Eodem modo procedendum est ac in qu. 1ª et 2ª expositum fuit; praeceptum enim faciendi Sacrificium integrum prohibet ne illud periculo mutilationis exponatur. Videtur tamen consecratio haec facienda *sub conditione: si prior materia non fuerit consecrata;* quia alias iterum esset periculum mutilandi Sacrificium si forte prior materia fuerit apta. (n. 206.) Materia dubia consecrata, post sumptionem pretiosissimi Sanguinis sumatur; quod si fieri non possit, tractanda est sicut materia consecrata quae sumi nequit, de quo cfr. Missale de defect. tit. 10. n. 6. et 7.

QUAER. 4º *Quid facto opus sit, si Sanguis extra calicem diffundatur.*

Resp. 1º *Si quid de Sanguine Christi ceciderit super rem, quae Sanguinem imbibit, lingua lambatur, et post Missam locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur;*

¹⁾ Sunt tamen qui censem probabilitate semper sufficere solum vinum consecrare, etiamsi nullum scandalum timendum sit, quia manet unum Sacrificium et ordo Consecrationis servatur. Ita Quarti. *Rub. Miss. rom. Pars. 3. tit. 3. dub. 2. coll. 1º;* Suarez. *de Sacr. disp. 85. sect. I.* et alii; cfr. etiam de Herdt. *Sacr. Lit. Prax. Pars III. n. 142. 3º, N. K. St. 1917. p. 25.*

cinis vero in sacrarium recondatur. Si res Sanguinem non imbibit, sorbeat Sacerdos stillam, locus abluatur, et lotio in sacrarium proiiciatur.

2º Si super mappam altaris, et ad secundam vel tertiam mappam pervenerit, vel si in solo corporali ceciderit, linteamina Sanguine madefacta ter abluantur ubi Sanguis ceciderit, calice supposito, et aqua lotionis in sacrarium proiiciatur. Eodem modo est procedendum si in vestibus sacerdotis aut in substrato pedibus panno vel tapeto.

3º Si totus Sanguis effundatur, ita tamen ut aliquid vel parum remanserit, Sacerdos illud sumat. Si vero nihil remansit, ponat iterum vinum et aquam, offerat, et consecret incipiendo a verbis *Simili modo* etc. De effuso Sanguine fiat, ut supra dictum est. Ita Missale de defect. tit. 10 n. 12. 13.

QUAER. 5º Quid faciendum, si hieme sacer Sanguis congeletur in Calice.

Resp. Calix involvatur pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat. Ita Missale tit. 10. n. 11.

QUAER. 6º Quid faciendum sit, si vel insectum ceciderit in calicem, vel Hostia consecrata dilabatur in calicem, vel quid venenatum ceciderit in calicem aut hostiam consecratam contigerit.

Resp. Pro huiusmodi defectibus remitto lectorem ad Missale tit. 10. n. 5. 6. 7. et 10.

§ IV. - CONDITIONES A PARTE MATERIAE CONSECRATIONI NECESSARIAE.

115. — Principia. I. AD VALIDAM consecrationem requiritur ut materia sit: 1º *Praesens sacerdoti consecranti*, ita ut secundum communem loquendi modum pronominibus *hoc* et *hic* demonstrari possit; secus enim non verificatur forma.

Haec porro praesentia expostulat ut materia sit: a) aliquomodo *coram sacerdote*, non post térgum eius nec moraliter ab eo separata; b) *non nimis distans*, etiamsi oculis videri possit. Ratio est, quia secus non potest recte designari pronomine *hoc* et *hic*. — Contra non expostulat haec praesentia, ut materia aliquo sensu actu percipiatur. (n. 212. 213.)

2º *Certa aliqua, in individuo determinata per intentionem consecrantis sive actualem sive virtualiter perseverantem*. Ratio est quia actiones circa singulalia versantur et quia pronomina *hoc* et *hic* non verificantur nisi de materia determinata. (n. 211. 214.)

II. AD LICITAM consecrationem requiritur: 1º *Ut fiat celebrando Missam secundum modum et ritum ab Ecclesia prescriptum in Missali*; a quo praeecepto ne extrema quidem necessitas excusat. Ita ex can. 817.

2º *Ex gravi praeecepto omnis materia consecranda tempore consecrationis debet esse:* a) *in altari*, b) *in corporali*, c) *in lapide consecrato* si est altare portatile. (n. 217-219.) Sufficit tamen ut ciborium quoad maiorem sui partem in lapide consecrato consistat.

Materia consecrata in corporali et in petra sacra remanere debet usque ad peractam Communionem, vel repositionem Sacramenti in tabernaculo; si tamen propter petrae sacrae angustiam calix et ciborium in eadem simul stare non possint, sufficit ut ad consecrationem, remoto aliquantulum calice, ciborium

ponatur in sacra petra, dein, remoto paululum ciborio, calix in ipsa ponatur. Hostiae, quae in Missa consecranda sunt ut populo distribuantur, ponendae sunt vel super corporale, vel in pyxide, vel super patenam, et Sacerdos intendere debet eas hostias offerre, et consecrare; pyxis deinde oblationis et Consecrationis tempore aperienda est. Ita Missale *Rit. Miss. tit. 2. n. 3, tit. 7. n. 3.* (*n. 219.*)¹⁾

3º Ut non consecretur maior numerus hostiarum ad Communionem populi, quam tempore opportuno possit absumi; ob periculum corruptionis specierum. (*n. 218.*)

116. — Resolutiones. 1º Potest consecrari materia, quae nullo sensu percipitur; sic caecus potest consecrare panem, etiamsi non tangat neque olfaciat illum, si ex relatione alterius certificetur de praesentia materiae. Similiter hostiae consecrantur in vase cooperto. Quapropter inepta est praxis eorum Sacerdotum, qui, dum consecrant, os proxime admovent, calicem versus se inclinant ut halitum in calicem inspirant, vinumque sono verborum feriant. (*n. 212.*)

2º Invalide consecratur materia clausa in tabernaculo; quia moraliter censetur abesse. Item materia tam parva ut sensu percipi nequeat; quia Sacramentum debet esse signum sensibile; quod intellige de materia separata, nam in toto etiam minimae partes consecrantur, ut constat ex Trid. sess. 13. can. 3. (*n. 213.*)

3º Si Sacerdos coram se habet v. g. undecim hostias, et intendit consecrare decem tantum, non determinans quasnam decem intendat, nullae consecrantur. Contra, si putans esse decem, quae undecim sunt, consecrare intendit materiam omnem, quae sibi praesens est, omnes erunt consecratae. Quamobrem Sacerdos semper debet intentionem habere consecrandi omnes hostias, quas coram se habet. Ita Missale *de defect. tit. 7. n. 1.* (*n. 214. 216.*)

4º Similiter, cum Sacerdos inscius duas consecrat hostias simul iunctas, putans se unam tantum consecrare, si quidem eam intentionem habeat, quam habere debet, consecrandi quidquid habet in manibus, ambas consecrat, ut docet Missale *loc. cit. n. 2.* Quod si ante Consecrationem, postquam obtulit, advertit, alteram seponere debet, et post Missam ipse vel alias sumere tamquam panem benedictum. (*n. 216.*)

5º Quando Sacerdos hostias consecrandas ad altare detulit, aut advertit ab alio afferri, vel ante Sacrificium monitus fuit de consecrandis in altari iam positis, valide eae consecrantur, si positae sint in corporali super sacrum lapidem extenso, et illas iam intenderit consecrare; quia tunc licita et valida est Sacerdotis intentio consecrandi, cum non teneatur altaria examinare. Idque, valet tametsi pyxidem postea non aperuerit ante oblationem et Consecrationem, neque de illis cogitaverit quando verba Consecrationis protulit. Ratio, quia intentio praecedens virtualiter perseverat. (*n. 216.*)

6º Non consecratur hostia inscio Sacerdote in corporali posita, quam nullam intentionem habuit consecrandi. Neque consecrantur guttae vini, quae exterius calici adhaerent; quia Sacerdos certe non intendit eas consecrare. (*n. 215.*)

¹⁾ Cfr. Auctoris: *Compendium Liturgiae. ed. 11^a Pars I. c. v. a. 2.*

117. — Quaestiones. QUAER. 1º *An censendum sit consecratum ciborum ex oblivione extra corporale relictum.*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis affirmat; quia voluntas consecrandi iam adfuit, et non est revocata; etsi enim illicita esset intentio consecrandi materiam, quam Sacerdos *novit* esse extra corporale, non tamen illicita est intentio consecrandi materiam omnem quae praesens est, etiamsi incaute in eo loco posita non fuerit, quo eam locatam esse oportuit.¹⁾

2ª Sententia probabilior negat; quia, cum intentio consecrandi extra corporale sit graviter illicita, praesumitur Sacerdos eam non habuisse.

Neque obiiciatur, Sacerdotem, qui ex oblivione vino aquam non admiscerit, certo tamen retinere intentionem consecrandi, quamvis, si voluntarie aquae commixtionem omisisset, graviter peccasset intendendo consecrationem vini sine aqua ei admixta. Non enim adest paritas; nam in tali casu intentio directe respicit ipsam consecrationem, hic vero directe determinationem materiae et consequenter tantum materiae semel determinatae consecrationem.

Quapropter, cum res sit dubia, rationabiliter ait Bened. XIV. ciborum denuo sub conditione consecrandum esse in alia Missa; vel, si paucae essent particulae, sumenda sunt post Communionem Sanguinis. (*n.* 217. *Exam. Ord. n. 99.*)

Potest interim Sacerdos huiusmodi dubia praecavere, formaliter intendendo non consecrare materiam, quae extra corporale exsistit.

QUAER. 2º *An consecratae censeantur guttae vini, quae sunt intra calicem separatae, quando Sacerdos nihil circa eas expresse intenderat.*

Resp. Controv. Alii negant; alii affirmant; alii denique distinguunt inter guttas propinquas fundo et remotas. — Itaque Sacerdos vel intendere debet consecrare illud solum vinum, quod in modum unius continui intra calicem exsistit, guttas separatas excludendo, ne opus sit de illis sollicitum esse; vel, si eas consecrare velit, praestat ut id intendat tantum de guttis proximis fundo, non vero de remotis, et tunc debet distantiam determinare. Similiter expedit consecrare micas adhaerentes hostiis, non autem separatas in patena vel corporali; neque obstat quod eas sumendo laedatur ieiunium; nam magis est praecavenda irreverentia erga Sacramentum, quam laesio ieiunii. Si vero micae sunt in ciborio, eas consecrare intendat, cum absit periculum eas perdendi. (*n. 215. Exam. Ord. n. 99.*)

QUAER. 3º *An liceat sacerdoti consecrare hostias sibi allatas post oblationem.*

Resp. 1º si parvae hostiae ad communicandum populum afferantur Sacerdoti paulo post factam oblationem, licite consecrantur, suppleta oblatione saltem mentaliter. (*n. 217.*)

2º Si afferantur *incepto iam Canone Missae, non licet*, si unus alterve tantum communicandus esset; tunc enim detrahi potest particula ex hostia Missae et dari illi: pro quo sufficiens causa erit, si communicatus diu exspectare deberet Communionem. *Licet* autem, si plures parati ad recipiendam Eucharistiam Communione carere aut diu exspectare deberent; tunc oblatio mentaliter facienda est, ne ordo Canonis interrupatur. (*n. 217.*)

¹⁾ Cfr. N. K. St. 1914. p. 138-149.

QUAER. 4º *Quid faciendum cum hostiis dubie consecratis.*

Resp. Hostiae dubie consecratae sumenda sunt post sumptionem pretiosissimi sanguinis. Iusta causa intercedente, puta si in maiori essent copia quam ut facile sumi possent, vel si aliter hostiae ad communionem populi non possent commode haberi, sub conditione consecrari possunt in sequenti Missa. Numquam autem licet in eadem Missa post consecrationem iam peractam, super hanc materiam iterum sub conditione verba consecrationis proferre. (n. 217.)

Articulus II.

Forma Eucharistiae.

118. — **Quae sit.** «Forma huius Sacramenti», docet Eugenius IV in Decreto pro Armenis, «sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.»

Forma Consecrationis panis sunt haec verba: «*Hoc est enim Corpus meum*». Forma Consecrationis vini: «*Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*»

Ex his verbis particula *enim* non est de essentia formae, ut omnes docent. Eius omissio, nisi ex contemptu proveniat, peccatum veniale non excedit. (n. 220.) Quoad alia dubia cfr. quaestiones infra.

119. — **Quomodo proferenda.** Verba Consecrationis proferenda sunt: *a) cum intentione saltem implicita et virtuali efficiendi id quod significant, seu cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quam intentionem quisque Sacerdos habere solet; b) vocaliter, et proinde ita ut minister seipsum audire possit (cfr. n. 6. II.); c) sine mutatione substantiali vel accidentalii (cfr. n. 6. II.)*

Quamvis virtualis intentio sufficiat, curare tamen debet Sacerdos ut etiam actualem intentionem adhibeat, ut addit Missale *de defect. tit. 7. n. 4.* Praeterea, cum Sacerdos formam huius Sacramenti proferens personam ipsius Christi sustineat, caveat scrupulosus Sacerdos ne interrumpendo, repetendo, caput agitando, Christum repraesentet ridicule loquentem, pios assistentes affligat, rudiores scandalizet, et actionem gravissimam contemptui exponat.

120. — **Quaestiones.** **QUAER.** 1º *An in Consecratione calicis sola verba: HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, vel: HIC EST SANGUIS MEUS, sint de essentia.*

Resp. Est duplex sententia probabilis. *Prima* negat, dicens etiam verba sequentia: *Novi et aeterni testamenti* etc. ad essentiam pertinere; *1º* quia in Missali Rom. *de defect. tit. 5.* omnia dicuntur forma huius Sacramenti, additurque: «*Si quis autem aliquid diminueret... de forma Consecrationis Corporis et Sanguinis... non conficeret Sacramentum*»; *2º* quia forma Eucharistiae significare

debet non solum conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi ad spiritualem refectionem, verum etiam virtutem Sanguinis effusi in Passione, remissionem scil. peccatorum; ergo verba sequentia, quae hanc virtutem exprimunt, ad essentiam formae pertinent. Ita S. Thom.¹⁾ S. Antonin. Silvest. Palud. Hurtad. Gonet. Salm. etc. apud S. Alf. — Censem tamen Salmant. *non omnia verba subsequentia esse essentialia; nam verba aeterni et mysterium fidei in aliis virtualiter includuntur.*

Secunda communior affirmat; probatur a) quia S. Paulus I Cor. xi. 25. ea verba omittit; credibile autem non est Apostolum non omnia verba essentialia ad Consecrationem retulisse; b) quia verba sacramentalia efficiunt quod significant: sed sola verba: Hic est calix Sanguinis mei vel: Hic est Sanguis meus, significant conversionem Sanguinis; ergo ea sola illam efficiunt. Ita S. Bonav. Scot. Suar. Lugo. Bellarm. Spor. Soto. Contens. Concin. apud S. Alf.; item Bened. XIV. De Sacr. Miss. sect. 2. n. 83. et sect. 1. n. 259 et 260.

In praxi sub gravi peccato sequenda est prima sententia; et, si forte Sacerdos prima tantum verba dixisset, deberet sub conditione integrum repetere formam, quemadmodum praescribit Missale de defect. tit. 10. n. 3. (n. 223.)

QUAER. 2º *An valeat forma, si dicatur: Hoc ENIM CORPUS MEUM, subintelligendo verbum EST, ut in lingua latina frequenter fieri solet.*

Resp. Negat.: quando enim verbum est salvo sensu omittitur, clare intelligitur ex adiunctis; hic vero desunt adiuncta, quae denotent subaudiri verbum est. Praeterea, ea forma favet haereticis dicentibus Christum esse hic tantum in usu. (n. 223.)

QUAER. 3º *An verba narrativa antecedentia formam, nempe Qui PRIDIE etc. et SIMILI MODO etc. sint de necessitate Sacramenti.*

Resp. Scotus²⁾ dubitat et nonnulli affirmant³⁾, non tamquam verba ista ad formam pertinerent, sed verba ista vel aequivalentia secundum illos sunt praerequisita, ut forma valeat. Ratio est quia nisi minister verba illa praemittat, non exprimitur utrum minister in propria persona an in Christi persona loquatur.

Communior sententia, quam plures moraliter certam dicunt, negat: quia 1º constat hoc Sacramentum confici verbis Christi; memorata autem verba non sunt Christi, sed Evangelistae; ergo efficaciter non cooperantur ad Consecrationem; 2º quod Sacerdos loquatur in persona Christi, non pendet ex recitatione praecedentium verborum, sed ex intentione eius. Ita S. Thom. 3. qu. 78. a. 1. ad 4. — Non obstat a) verba antecedentia *Accipite et comedite esse verba Christi;* quia, inquit D. Thomas l. c. ad 2, haec verba spectant tantummodo ad usum Sacramenti, qui certe non est de necessitate. Néque obstat b) quod Rubrica de defect. tit. 3. 4 et 10, quoties forma repetenda est propter dubium, toties praecipiat ut Sacerdos incipiat a verbis *Qui pridie et Simili modo;* cum, attentis titulo 5 et praescripto repetendi etiam oblationem, de solo praecepto intelligenda sint. (n. 222.)

QUAER. 4º *Quid faciendum Sacerdoti, si ob distractionem non recordetur se omnia verba Consecrationis dixisse.*

Resp. Observet quod tradit Missale de defect. tit. 5. n. 2: « Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quae in Consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate Sacramenti,

¹⁾ 3. qu. 78. art. 3; 4 Sent. dist. 8. qu. 2. art. 2. qu. 1. ad 3; in I Corinth. cap. 12. lect. 6. v. Sed circa.

²⁾ Cfr. Scot. 4. D. 8. 2. n. 4.

³⁾ Cfr. de la Taille, *Mysterium fidei.* Eluc. 35.

i. e. formam Consecrationis, seu partem eius, resumat ipsam formam, et caetera prosequatur per ordinem, Si vero valde probabiliter *dubitatur* se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. » (n. 224.)

CAPUT III.

MINISTER EUCHARISTIAE

Expendenda sunt: 1º penes quos sit potestas Eucharistiam ministrandi; 2º quo modo sit ministranda sacra Communio.

*Articulus I.***Potestas ministrandi.**

Minister Eucharistiae quadruplex distinguitur: minister consecrationis, minister dispensationis, minister expositionis et minister benedictionis. De unoquoque seorsum agemus.

§ I. - MINISTER CONSECRATIONIS.

121. — Principia. I. *Sacerdotes soli Eucharistiae consecrandae ministri sunt.* Est de fide ex Conc. Later. IV. cap. *Firmiter*, ex Trid. sess. 22. cap. 1 et can. 2, ex Decreto Eugenii IV, et insuper constat e can. 802.

II. *Haec potestas omni sacerdoti competit*, etiam haeretico, schismatico, excommunicato, suspenso vel alio impedimento canonico irretito, ita ut ipsi *valide* consecrent. Ratio est quia haec potestas cum charactere sacerdotali, qui semper manet, cohaeret.

III. *Plures sacerdotes possunt etiam simul eandem materiam consecrare, sed in Ecclesia Latina hoc non licet, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis Episcoporum secundum Pontificale Romanum.* Ita ex can. 803. Ratio est: Sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo; ideo non refert utrum per unum an per multos hoc Sacramentum consecretur.¹⁾ Oportet tamen ritum Ecclesiae servari, qui illud in Ecclesia Latina non promiscue permittit sed tantum in dupli casu allato. — Quando fit concelebratio Pont. Rom. praescribit ut verba Consecrationis eodem momento dicantur ab ordinatis quo dicuntur a Pontifice.

¹⁾ S. Thom. 3. qu. 82. a. 2. ad 2.

Quoad rationem huius concelebrationis non est una theologorum sententia. Secundum alios celebrantes tunc tantum omnes conficiunt Sacramentum, si omnes eodem tempore verba absolvunt; quod si quis ante alios verba absolveret et haberet intentionem absolutam consecrandi sine dependentia ab aliis, ipse solus conficeret Sacramentum et alii frustra formam absolverent. Hinc concelebrantes, puta neo-sacerdotes in missa Ordinationis, debent, quoad fieri potest, una cum Episcopo verba absolvere et praeterea intentionem habere debent tunc tantum consecrandi, quando eodem instanti cum Episcopo verba absolvunt.¹⁾

Alii vero in hoc insistunt, quod consecratio fit per *collegium sacerdotale in solidum*: unde plures illae prolationes nonnisi *unam formam* consecrationis constitunnt, quae non est completa nisi postquam omnes absolverunt suam prolationem. Hinc omnes debent habere intentionem conspirandi ad *unam consecrationem totius collegii* et sic omnes consecrant.²⁾

Quidquid est de hac controversia, sufficit omnes habere intentionem consecrandi *secundum ritum Ecclesiae seu concelebrandi cum Episcopo*: in hac enim aliae sufficienter includuntur. Hanc intentionem ordinati habent eo ipso, quod ordinem suscipere volunt secundum ritum sanctae Romanae Ecclesiae; unde nulla speciali intentione indigent, imo, ut anxietates et scrupuli arceantur, alia intentio eis suaderi non debet.

§ II. - MINISTER DISPENSATIONIS.

Ad *valide* dispensandam Eucharistiam a parte ministri nihil requiritur; ad *licite* autem eam dispensandam duplex potestas exigitur: potestas ordinis et potestas iurisdictionis, quarum posterior legitimum prioris exercitium moderatur. (cfr. supra n. 9.)

Punct. I. Potestas ordinis.

122. — Principia. I. *Minister ORDINARIUS sacrae communionis est solus sacerdos.* Patet ex constante Ecclesiae usu, quem testatur Conc. Trid. sess. 13. cap. 8: «Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent;... qui mos, tamquam a traditione Apostolica descendens, iure ac merito retineri debet». Idem declarat sess. 23. cap. 1. Item can. 845. § 1.

II. *Minister EXTRAORDINARIUS est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.* (can. 845. § 2.) Patet ex traditione et praxi Ecclesiae, quam testatur v. g. Conc. Carthag. IV. can. 38. — Gravis porro causa habetur, cum nullus adest sacerdos, qui commode possit eam ministrare, v. g. in magno festo, quo sacerdotes confessionibus audiendis occupati sunt.

In necessitate autem extrema, absente sacerdote, diaconus tenebitur Viaticum ministrare. (n. 237.)

Quaestiones. QUAER. 1º *An inferior diacono, clericus aut etiam laicus, umquam possit Eucharistiam ministrare.*

Resp. Probabiliter licet, tum sibi tum aliis, *in articulo mortis*, ne quis sine Viatico moriatur; tum quia nulla fit Sacramento iniuria, si urgente praecepto

¹⁾ Cfr. S. Alph. l. VI. n. 232.

²⁾ Cfr. de la Taille. *Myst. fidei. Eluc.* 28. *App. D.*

divino Viatici id fiat; tum quia in primitiva Ecclesia fideles solebant hoc Sacramentum manibus accipere, imo in domos suas deferre et sibimet ministrare. Quod confirmatur resp. S. C. de Prop. Fide 21 Iulii 1841. (*Coll. I. n. 928.*) — Admiratio circumstantium facile tolli potest, admonendo eos id in tali casu necessitatis permissum esse. (*n. 237. n. 84. H. A. n. 10.*)

Ob eandem rationem potest sacerdos, ubi in communicando infirmo peculiaris dexteritas requiritur, laico, puta sorori infirmo ministranti, committere ut cochleari Viaticum porrigat. Ita recte Noldin, III. *n. 124.*

Similiter clericis inferioribus et laicis communionem sibi vel aliis ministrare licet in casu necessitatis, ubi non est alia via ad praecavendam profanationem Sacramenti.

Clericus inferior diacono et laicus indebit Eucharistiam ministrantes, contrahunt irregularitatem, ob exercitium ordinis quo carent. Ita ex can. 985. 7º.

QUAER. 2º *An sacerdos, extra mortis periculum, possit sibi ipsi ministrare communionem.*

Resp. Probabiliter *affirm.*, et etiam solius devotionis causa, si desit alius sacerdos, absitque scandalum; quia nihil repugnat quod sacerdos sibi sumat hunc caelestem cibum, nec ullibi est vetitum. (*n. 238. H. A. n. 11.*)

Punct. II. Potestas iurisdictionis.

123. — *Potestas dispensandi Eucharistiam in genere.* I. *Ad licitam dispensationem Eucharistiae, praeter potestatem Ordinis, requiritur legitima facultas pastoralis seu potestas iurisdictionis sive ordinaria, ex munere pastorali, sive delegata ab eo qui est ordinarius Pastor.* Ratio èst quia pascere oves Christi per Sacramentorum administrationem proprium ius est Pa- storum. (cfr. supra *n. 9.*)

II. *Facultas ordinaria* hoc Sacramentum dispensandi competit tum Ordinariis, tum Parochis et iis qui Parochis aequiparantur et in iure nomine Parochi veniunt, tum in genere iis quibus ex officio animarum cura incumbit. *Facultas delegata* conceditur vel ipso iure, vel ab iis qui potestate ordinaria fruuntur; et potest esse legitime praesumpta.

III. Hoc Sacramentum sine debita facultate vel licentia dispensare, praesertim ubi agitur de sacra communione publice ad infirmos deferenda et de Viatico, sive publice sive privatim deferatur, est *peccatum mortale*, ut omnes docent; ratio est, quia est iuris alieni usurpatio in re gravi.

124. — *Potestas dispensandi in Ecclesia.* I. *Quilibet sacerdos intra Missam et, si privatim celebrat, etiam proxime ante et statim post, s. communionem ministrare potest, idque etiam in oratorio privato, nisi Ordinarius loci iustis de causis id ibi in casibus particularibus prohibuerit.* (can. 846. § 1; 869.)¹⁾

¹⁾ Utrum sacerdos quacumque hora sacrum litet s. communionem distribuere possit in Missa cfr. infra *n. 128*, ubi de tempore debito s. communionis distribuendae agitur.

Hanc facultatem igitur quilibet sacerdos habet ipso iure, eo ipso quod ad celebrandum admittitur, nec opus est ulteriori licentia, ne praesumpta quidem, rectoris ecclesiae, qui etiam facultate caret illud prohibendi.

Verbis: «si privatim celebrat» intelligitur omnis Missa quae non est conventionalis vel sollemnis vel cantata.¹⁾ Verbis: «proxime ante et statim post» intelligitur distributio Communionis in paramentis Missae, de qua infra n. 130.

II. *Etiam extra Missam* quilibet sacerdos eadem facultate pollet, sed tunc, si sit extraneus, opus est licentia, saltem praesumpta, rectoris ecclesiae. (can. 846. § 2.) Sacerdos igitur, qui non est extraneus, sed ecclesiae est adscriptus, tali licentia non indiget.

Nota. Dicta in I et II valent de *omnibus omnino Ecclesiis et oratoriis* (unice excepto oratorio privato quando Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit) et *etiam in die Paschatis et in Coena Domini*, ut patet ex can. 846 comparato cum can. 867 et 869. Unde penitus sublata est prohibitio ministrandi die Paschatis sacram communionem in Ecclesiis non-parochialibus (quae prohibitio caeteroquin iam decreto S. C. C. 28 Nov. 1912 sublata erat).

125. — Potestas dispensandi extra Ecclesiam.²⁾ Extra Ecclesiam sacra communio ministrari potest dupli modo: *a) publice*, i. e. cum omnibus sollemnitatibus a Ritu Romano praescriptis, *b) privatim seu occulte*, i. e. absque illis sollemnitatibus. Iubet autem Codex, ut, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat, sacra communio ad infirmos *publice* deferatur. Cfr. ca. 847 et Rit. Rom. tit. 4. c. 4. n. 6. Porro:

I. **QUOAD SACRAM COMMUNIONEM NON PER MODUM VIATICI.** 1º *Publice deferre* sacram communionem ad infirmos etiam non-paroecianos, *ius et officium est parochi intra suum territorium* (can. 848. § 1); caeteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii. (can. 848. § 2.)

2º *Private deferre* s. communionem ad infirmos *quilibet sacerdos* potest; qua in re non indiget venia parochi, sed tantum venia, saltem praesumpta, eius sacerdotis, cui custodia Sanctissimi Sacramenti commissa est. (can. 849. § 1.) Quare religiosi, modo iuxta iudicium Ordinarii loci iusta adsit et rationabilis causa, quam exigit can. 847, de venia solius superioris privatim infirmis sacram communionem deferre possunt.³⁾

II. **QUOAD SACRAM COMMUNIONEM PER MODUM VIATICI.** Deferre sacram communionem per modum Viatici *sive publice sive privatim*, praeterquam in casibus a iure exceptis, pertinet ad *parochum intra cuius territorium infirmus decumbit*. Ita ex can. 850 coll. can. 848.

Caeteri sacerdotes id possunt in casu necessitatis aut de licentia saltem legitime praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii.⁴⁾ (can. 850. coll. 848.

¹⁾ Cfr. S. R. C. 19 Ian. 1906. n. 4177.

²⁾ Cfr. N. K. St. 1919. p. 97.

³⁾ Cfr. infra n. 132.

⁴⁾ Excommunicatio Sedi Apostolicae simpliciter reservata qua secundum Ius Antiquum plectebantur regulares qui extra casum necessitatis saecularibus sine parochi licentia Viaticum ministrarent, Codice iam sublata est.

§ 2.) Imo in *casu necessitatis* omnibus sacerdotibus *officium incumbit* Viaticum ministrandi; quando nempe aliquis est in periculo imminentis mortis, Parochus vero vel absens est, vel non sine periculo exspectari potest, vel requisitus Sacraenta administrare renuit. (n. 240.)

Dispositio iuris intelligenda videtur tantum de Viatico stricto sensu seu *ex obligatione accepto*; post Viaticum autem ex obligatione acceptum, sacra communio ulterius secundum regulas communes a quolibet Sacerdote privatum ministrari posse videtur; tunc enim ordinariis communionibus ex devotione aequiparanda est, nec ratio habetur ius parochi ad hos quoque casus extendendi. Non obstat can. 864. § 3: canon enim verbo *viaticum* utitur ut communionem designet, quae non ieiuno dari potest; sic enim res antea intelligebantur, et contra mentem Codicis diceret qui pium istum usum redderet difficiliorum. Ita recte Vermeersch. *Theol. Mor.* III. n. 387.

126. — *Quaestio. QUAS NAM EXCEPTIONES Ius statuit circa ius parochorum Viaticum ministrandi.*

Resp. 1º *In omni religione clericali* ius et officium *Superioribus* est vel per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmitatis valetudinibus, Eucharisticum Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi. Hoc valet etiam pro Sacramentis istis *extra domum religiosam* conferendis, si agatur de *religiosis professis et novitiis*, firmo tamen iure parochi quoad publicam Eucharistiae delationem.¹⁾

2º *In monialium domo* idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit.

3º *In alia religione laicali* hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel, si Ordinarius familiam religiosam a parochi cura subduxerit, ad cappellatum quem parocco sufficerit. (can. 514. § 1. 2. 3. coll. canone 464. § 2.)

Idem, quamvis Codex hac de re expresse mentionem non faciat, ob paritatem rationis dicendum de piis domibus (nosocomiis, collegiis etc.) quas episcopus secundum can. 464. § 2 e parochi cura subduxerit.

4º *Episcopo* decubenti ministrare Sacraenta ius et officium est apud dignitates et canonicos secundum ordinem praecedentiae. (can. 397. 3º.)

5º *In Seminario* omnibus qui in Seminario sunt ius et officium est apud Rectorem. (can. 1368.)

§ III. - MINISTER EXPOSITIONIS ET BENEDICTIONIS.

127. — I. *Minister expositionis et repositionis Sanctissimi Sacramenti* est *sacerdos vel diaconus*. (can. 1274. § 2.) Codex inter utrumque nullam distinctionem facit; quare nulla peculiaris causa requiritur ut hoc ministerium diacono committatur.

II. *Minister benedictionis Eucharisticae* est *solus sacerdos*; diaconus eam impertire non potest, excepto tamen casu quo Viaticum ad infirmum detulerit (can. 1274. § 2), quod ad quamecumque communionem ad infirmos delatam applicari posse videtur.

¹⁾ Ita C. C. Int. 16 Iunii 1931 sub I. (A. A. S. 1931. p. 353.)

*Articulus II.***Modus dispensandi Eucharistiam.**

Sacra communio ministrari debet: 1º tempore debito, 2º loco convenienti, 3º ritu praescripto.

128. — **Tempus debitum.** I. SS. Eucharistiam *omnibus diebus* distribuere licet excepta tantum Feria VI maioris hebdomadae in qua solum licet Sacrum Viaticum ad infirmos deferre. (can. 867. § 1. 2.)

Sabbato Sancto s. communio non potest fidelibus ministrari nisi intra Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis. (can. 867. § 3.)

Quare Sabbato Sancto non licet communionem ministrare in sacello, ubi Missa non celebratur, etiamsi ibi SS. Sacramentum asservetur: non permittitur enim alia communio-nis ministratio nisi ea quae cum Missa connectitur. Nec licitum esse videtur communio-nem distribuere post «Gloria» vel etiam prius. Ratione tamen peculiarium adiunctorum (v. g. in finiendis exercitiis spiritualibus, tempore sacrae missionis, quando Missa exspe-ctari nequit) interdum ante Missam ministrari posse videtur.¹⁾

Feria V in Coena Domini sacra communio distribui potest ante Missam sollemnem et intra ipsam. Finita autem Missa sollemnii in ea Ecclesia com-munio iam non amplius distribui posse videtur, quia illi Ecclesiae iam fi-nitum est tempus quo Missae Sacrificium offerri potest (can. 867. § 4.) et quia secundum rubricam Missalis non nisi species consecratae aliquae *pro infirmis* conservandae sunt.

II. Sacra Communio *iis tantum horis* distribui potest quibus Missae Sacrificium offerre licet, nisi aliud rationabilis causa suadeat. (can. 867. § 4.) Tali causa interveniente potest igitur post meridiem et etiam sub nocte ministrari. — *Sacrum autem Viaticum* quacumque diei aut noctis hora mi-nistrari potest. (can. 867. § 5.)

Mens canonis 867. § 4 illa esse videtur, ut quocumque tempore licet Missam celebrare, sive secundum normas iuris sive ex privilegio, liceat et in Missa sacra communio-nem distribuere.²⁾ Etiam nocte Nativitatis Domini in Missis quae celebrantur in Oratorio domus religiosae vel domus piae ad normam can. 821. § 3 saera communio distribui potest (can. 821. § 3); idem valet si Missa celebretur ex indulto apostolico³⁾; in Missa conventuali vel paroeciali (c. 821. § 2) — pro qua olim exceptio habebatur — id licere constat ex can. 867. § 4, et confirmatur responsione Praes. Comm. Cod. 10 Jul. 1919 ad Episc. Tugueguarao⁴⁾, saltem pro easu quo adest rationabilis causa; imo videtur simpliciter licitum esse, vi interpretationis canonis 867. § 4 modo indicatae.⁵⁾

¹⁾ Ante Codicem S. R. C. declaravit licere viris qui spiritualia exercitia Sabbato Sancto terminabant et Missam expectare non poterant etiam ante Missam Communio-nem distribuere. (Cfr. Ferreres. *Theol. Mor.* II. 297.) In his et similibus circumstantiis etiam nunc id licere censem Marc. II. 1540, Vermeersch. *Theol. Mor.* III. n. 420 et alii: alii severius iudicant. Cfr. N. K. S. 1920, p. 112.

²⁾ Cfr. etiam resp. S. R. C. 7 Sept. 1816, ad 23. n. 2572.

³⁾ C. C. Int. 16 Martii 1936. A. A. S. p. 178.

⁴⁾ Cfr. *Monitore Eccl.* 1922 p. 371, 1924. p. 21, ex *Cultura Social. Manila*, 1920, p. 225.

⁵⁾ Cfr. N. K. St. 1925. p. 375.

Noctu sacra communio ad infirmos deferri non debet, nisi necessitas urgeat, uti obtinere potest in Viatico ministrando. Cfr. Rit. Rom. *tit. IV. cap. 4. n. 13.*

III. Distributionem S. Communionis secundum Liturgiae praescripta fieri decet durante S. Missa statim post Communionem sacerdotis. Ob iustas tamen causas (specialiter ut populi spiritualibus necessitatibus occurratur) quae non raro aderunt, fieri potest immediate ante vel post Missam, si est privata,¹⁾ immo etiam (salvis dictis supra sub I de feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto) sine connexione cum Missae celebratione. (can. 846.)²⁾ Laudabile quoque est si fideles intra Missarum solemnia communicantes sacras hostias accipiant in eadem Missa consecratas, quo magis eorum consortium in eodem Sacrificio *significetur*. Nihilominus vere et reapse et illi de Sacrificio participant, qui hostiam accipiunt in alia Missa consecratam.³⁾

129. — Locus conveniens. I. Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit. (can. 869.) De loco autem celebrationis vide infra *n. 231 sqq.*

Sublata iam est restrictio deer. S. R. C. 8 Maii 1907 *n. 4201*, quo in oratorio privato iis tantum qui Missae interessent, sacra communio ministrari permittebatur; neque amplius pro communione Paschali exceptio facienda est.

Licentia extra ecclesiam vel oratorium Missam celebrandi, ad normam can. 822, ex ipso iure etiam facultatem importat ibi sacram Communionem distribuendi, etsi de facto Missa non dicatur. Talis videtur sensus canonis 869; confirmatur resp. S. C. de discipl. Sacr. *Montis regalis in Pedemonte ad 1^{um}*⁴⁾ quod hanc canonis citati explicationem supponit.

NOTANDA. 1º Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e^r conspectu amittat. (c. 868.) Attamen, canon non videtur ita urgendus, ut non possit ministrari communio in cubiculis, oratorio ubi celebratur Missa adiacentibus, ex quibus, etsi altare non videatur, tamen vox celebrantis auditur.⁵⁾

2º Sacra communio extra ecclesiam ad domos privatas deferre non licet nisi ad communicandum infirmum. Hinc per se non licet, si ad infirmum in domo privata vel in cubiculo deferatur sacra communio, simul ipsam in via vel in domo infirmi aliis sanis ministrare. Dixi *per se*: etenim loci Ordinarius vel eius delegatus id permettere potest iusta a rationabili de causa in aliquo casu extraordinario per modum actus, uti patet ex resp. S. C. de disc. Sacr. supra citato; dein aliquando etiam legitima epikeia intervenire posse videtur, ut pro eo qui infirmo inserviendi causa ecclesiam adire nequit.⁶⁾

¹⁾ Rit. Rom. *tit. 4. cap. 2. n. 11*; hoc valet etiam in Missa pro defunctis cfr. S. R. C. 19 Dec. 1829. *n. 2672 ad 2; 23 Julii 1868. n. 3177.*

²⁾ Cfr. Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (*A. A. S. 1947. p. 565-566.*)

³⁾ Benedict. XIV Encycl. *Certiiores effecti*, 13 Nov. 1742 in Gasparri *Fonter Cod. I. C. I. n. 331*; Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947 *l. c. p. 564-565. N. K. St. 1948 p. 99.* Quoad functiones in quibus quisque suam hostiam ad altare defert in Missa consecrandam et in communione recipiendam, recole normas observandas, ut evitetur periculum communionis sacrilegæ, *infra n. 167 q. 2.*

⁴⁾ Cfr. *A. A. S. 1928. p. 79.* Cfr. etiam annotationes Secretarii *l. c. p. 78.*

⁵⁾ Cfr. inter se S. R. C. 19 Dec. 1829. *n. 2672. ad 1; 7 Dec. 1844. n. 2885; 24 Mart. 1860 n. 3099 ad 1; 7 Febr. 1874. n. 3322. ad 2; 11 Maii 1878. n. 3448. ad 8; 16 Nov. 1906. n. 4193. IV; Ephem. lit. XXIII. p. 581; N. K. St. 1917. p. 272-275.*

⁶⁾ Cfr. N. K. S. 1920. p. 117.

3º Non licet sacram communionem ministrare in altari ubi SS. Sacramentum est sollemniter expositum, sine necessitate vel gravi causa vel ex speciali indulto; neque usus contrarius tolerari potest.¹⁾

130. — Ritus praescriptus. I. Sacerdos sacram communionem distribuere debet secundum proprium ritum. (can. 733. § 2.) Unde: 1º Sacerdos *ritus latini sub sola specie panis* sacram communionem praebeat (can. 852); nec umquam licet sacerdoti *ritus latini sub utraque specie vel sub sola specie vini* communionem praebere, ne in casu necessitatis quidem ad dandum Viaticum moribundo, ut communiter docent theologi. (n. 245. H. A. xv. n. 14.)

2º Sacerdos *ritus latini in pane azymo*, sacerdos *ritus orientalis*, qui fermentato utitur, in pane fermentato SS. Eucharistiam distribuere debet. (can. 851. § 1.) — Nihilominus, ubi necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti, qui fermentato utitur, ministrare in azymo, et vicissim; sed semper suum quisque ritum ministrandi servare debet. (can. 851. § 2.)²⁾

II. Sacerdos, sacram communionem distribuens, accurate servare debet *ritus et caeremonias propriae ritus, quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur*. Ita ex can. 733. § 1 et 2.

Unde: 1º In Ecclesia Latina intra Missam sequendus est ritus qui habetur in Miss. Rom.³⁾ et Rit. Rom.⁴⁾; extra Missam et proxime ante et statim post ritus specialis praescriptus in Rit. Rom. tit. 4. cap. 2; pro communione infirmorum ritus ut in Rit. Rom. tit. 4. cap. 4.

2º In paramentis Missae sacerdos communionem distribuere potest intra Missam, et si private celebret, etiam proxime ante et statim post.⁵⁾ Quod valet etiam de Missis pro defunctis⁶⁾, sed tune omittenda est benedictio populi in fine.

Si adsit necessitas, potest sacerdos qui ad altare aliquod ad celebrandum accedit vel ab eo recedit, sacris vestibus Sacrificii indutus in transitu ad altare, ubi SS. Sacramentum asservatur, sacram communionem distribuere fidelibus, nec tunc opus est, ut prius deponat planetam et manipulum in sacristia. Ita S. R. C. 12 Mart. 1836 ad II. (n. 2740.)

3º Extra Missam indutus sit superpelliceo et stola coloris albi vel convenientis officio illius diei (mutato tamen colore nigro in violaceum die Comm. Omn. Fid. Def.), accendantur cerei, praemittatur confessio generalis, et consuetae dicantur orationes, prout in Rit. Rom. praescribuntur.⁷⁾

¹⁾ Cfr. S. R. C. 11 Maii 1878. ad 1. (n. 3448); 17 April. 1919. (n. 4353.) Cfr. etiam S. R. C. 27 Iulii 1927. (A. A. S., 1929. p. 289.)

²⁾ De facultate communicantium Sacramentum in quolibet ritu confectum suscipiendi cfr. infra n. 169.

³⁾ Cfr. Miss. Rom.: *Ordo Celebr. Missam tit. 10. n. 6.*

⁴⁾ Cfr. Rit. Rom. tit. 4. cap. 2. n. 12.

⁵⁾ Nota Missam cantatam quoad hoc aequiparandam esse Missae sollemni, ut patet ex Decr. S. R. C. 19 Ian. 1906. (n. 4177.)

⁶⁾ Cfr. S. R. C. 19 Dec. 1829. ad 2. (n. 2672) et 23 Iulii 1868. (n. 3177.)

⁷⁾ Ex Instr. S. C. de disc. Sacr. 16 Martii 1929 praeter linteum ante communicantes extensum patina amento aut metallo inaurato confecta, adhibenda est. (A. A. S. 1929. p. 638.)

III. Eucharistia ministranda est *pollice et indice manus dextrae*. Aliis digitis ministrare non est licitum nisi ex gravi necessitate, quando sacerdos digitis solitis uti non potest et alius sacerdos praesto non est; quia index et pollex ex ritu Ecclesiae praeceps ad hoc ministerium deputati sunt. (n. 244.)

IV. *Omissio caceremoniarum peccatum est*, scilicet: 1º Ministrare sine vestibus sacris DD. communiter censem esse mortale. Omissio solius stolae vel solius superpellicei videtur solum veniale. Deferre autem Eucharistiam ad aliud altare sine vestibus sacris, non excedit peccatum veniale, ut dicunt communiter. 2º Ministrare sine lumine et solita confessione, communiter putatur veniale tantum. 3º Psalmi et Hymni eundo ad infirmos et redeundo sunt de consilio tantum.

In necessitate licitum esse Viaticum ministrare sine vestibus sacrīs, et sine lumine, Doctores communius et valde probabiliter affirman; quia rationabiliter non praesumitur Christus, qui hoc Sacramentum ad subsidium animarum instituit, neque Ecclesia, benigna mater, voluisse moribundos tanto bono privari, ne praescriptae caeremoniae omittantur. Confirmatur ex Responso S. C. Prop. Fid. 9. Dec. 1822. (*Coll. Prop. Fid.* n. 778) (n. 241. H. A. n. 12.)

NOTA. DIACONUS, dum Eucharistiam ministrat, debet esse indutus superpellico et stola transversa. Debet, etiam apud infirmos, *totum ritum Ritualis servare*, uti praescribit Rit. Rom. tit. 4. cap. 2. n. 10 et cap. 4. n. 28.¹⁾ In communicandis infirmis debet etiam benedictionem dare cum SS. Sacramento (can. 1274. § 2.); idque etiam, uti videtur, post regressum in ecclesiam.²⁾ Item, cum communionem ministrat in ecclesia, in fine manu populum benedicere debet, ut erui potest ex Rit. Rom. l. c. et declaravit C. C. Int. 13 Iulii 1930.³⁾ (n. 237. H. A. n. 9.)

131. — Quaestiones. QUAER. 1º Quando communione ministranda est et invenitur numerus insufficiens Hostiarum, an possit aliquot Hostiae in plures particulas dividiri.

Resp. Affirm., si adsit necessitas, ut declaravit S. R. C. 16 Mart. 1833 ad I. n. 2704. Attamen Sacerdos Hostias tunc dividere debet in binas tantum vel ternas partes; quia secus honeste dari non possunt. (245.)

QUAER. 2º An liceat distribuere hostias immediate post earum Consecrationem, scil. ante ipsius sacerdotis qui consecraverit communionem.

Resp. Negat.; hostiae enim super sacrum lapidem manere debent toto tempore sacrificii, i. e. usque ad peractam communionem sacerdotis; quia omnes sunt unica victima et coniunctum offeruntur. Insuper non congruit ut alius prius quam ipse sacerdos participet de sacrificio. Unde etiam S. R. C. 11 Maii 1878 ad 7. n. 3448 declaravit illud tamquam abusum esse interdicendum, etiamsi fieret ob ingentem populi concursum.

QUAER. 3º Quid faciendum, si Hostia decidat.

Rsp. Locus, ubi cecidit, sive sit terra, sive mappa aliudve linteum, linteo mundo tegatur, et poste abluatur, uti praecipit Missale de defect. tit. 10. n. 15. Quod praeceps tamen non obligat sub gravi.

¹⁾ Idem iam antea rescripsit S. R. C. 14 Aug. 1858. ad 1. (n. 3074.)

²⁾ Cfr. Rit. Rom. l. c., Gasparri. l. c. n. 1103.

³⁾ A. A. S. 1930. p. 365. Cfr. etiam Ephem. Liturg. 1926. p. 30 seq.

Auctores addunt ablutionem vestis aut barbae ordinarie omitti posse, ad evitandam turbationem populi. Quodsi hostia in foeminae pectus intra vestes delabatur, decet ut ipsa foemina, non sacerdos, hostiam manu extrahat, et reponat in ciborio (*n.* 250), aut suis ipsis manibus sibi in os immittat, ut tradit Bened. XIV *De Sacrif. Miss. sect. 2. n. 176.*

Si hostia intra clausuram Monialium ceciderit, sacerdos clausuram ingrediatur.

132. — Scholion. De Communione infirmorum. Ad infirmos S. Communio *publice* deferenda est, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat. (can. 847.) Quodsi privatim defertur, reverentiae ac decentiae tanto Sacramento debitae sedulo consulendum est, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis. (can. 849. § 2.)

Iudex causae iustae et rationabilis, quae ad *privatam* delationem ad infirmos requiritur ex can. 847, non est quilibet Sacerdos, sed Ordinarius loci tantum; ita ex resp. S. C. de discipl. Sacr. *Romana et aliarum* 5 Ian. 1928.¹⁾ Additur tamen *mens* quae sequens est: « Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconveniens privatae delationis S. Communionis ad infirmos, ab Ordinariis cavendum est ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes publicam delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi privatim Sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatum Communionis etiam quotidiane. »

Quoad *modum* deferendi *publice* serventur quae in Rit. Rom. circa hoc praescribuntur.²⁾ De modo deferendi privatim haec habet Rit. Rom.³⁾: « Sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus: in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur. Cum autem ad infirmi cubiculum pervenerit, sacerdos superpelliceum quoque induat cum stola, si illud antea non induerit. » Particularia indulta autem, quae hac in re alia permittunt, Codice non sublatas sunt. Cfr. v. g. Conc. Prov. Ultraj. 1924. lib. 3. tit. 3. c. 2. a. 1. p. 91.

133. — QUAER. 1º An in necessitate liceat deferenti Viaticum CURRERE.

Resp. Probabile est id fieri posse sine irreverentia (*n.* 242.); sed cursus non sit nimis festinus, ait Bonacina. *de Euch. qu. 5. p. 2 n. 9.*

QUAER. 2º An liceat Eucharistiam deferre EQUITANDO.

Resp. *Affirm.*, si fiat causa tempestatis, vel distantiae, vel periculi in mora. Verum equus debet esse mansuetus, ita ut absit periculum lapsus et irreverentiae. Tunc oportet Eucharistiam in bursa collo suspensa gestare. Patet ex Rit. Rom. *tit. 4. cap. 4. n. 13.* (*n.* 243.) Similiter fas erit eam in curru etiam automobili deferre.

QUAER. 3º An liceat Eucharistiam deferre in rota, dicta VELOCIPEDA.

Resp. Tamquam medium ordinarium deferendae SS. Eucharistiae, etiam privatim, numquam haberi potest. Quodsi agatur de SS. Viatico deferendo, usus eius, amoto scandalo, tolerari potest, dummodo locus sit remotior, necessitas urgens, et nullum aliud

¹⁾ Cfr. *A. A. S.* 1928. p. 81.

²⁾ Cfr. Rit. Rom. *tit. 4. cap. 4.*

³⁾ Cfr. Rit. Rom. *tit. 4. cap. 4. n. 29*; rubrica desumpta est ex Bened. XIV. *Const. Inter omnigenas.*

² Febr. 1744. *n. 23.*

medium habeatur, quo huiusmodi necessitati occurri possit. Ita *S. C. de Sacr.* 13 Junii 1919.¹⁾ — Caeterum ad statuta dioecesana attendendum est.

Quaer. 4^o *An liceat Eucharistiam capite cooperito deferre.*

Resp. Negat. si publice deferatur; ob reverentiam Sacramento debitam. Constat ex Rituali loc. cit. n. 12. et ex pluribus S. R. C. declarationibus. Attamen ob frigus vel aëris intemperiem probabiliter potest Episcopus dispensare, ut sacerdos caput pileolo tegat in pagis, non in civitatibus vel oppidis. (n. 241. H. A. n. 12.) Ea tamen prohibitio non obligat cum periculo valetudinis neque pro eo qui occulte seu privatim defert Eucharistiam.

Quaer. 5^o *An liceat tempore pestis Euch. porrigerere aliquo instrumento.*

Resp. Affirm. probabiliter, puta imposita particula in cochleari (quantum fieri possit argenteo) cum vino aut aqua; quia eiusmodi necessitas satis videtur a solito ritu Ecclesiae excusare. — Idem dicendum, si infirmus ob oris siccitatem hostiam deglutire non possit. (n. 264. 288.)

Quaer. 6^o *Quid si S. Communio distribuitur pluribus infirmis qui in eadem domo vel in eodem hospitali, sed in distinctis cubiculis degant.*

Resp. In casu hic brevior ritus adhiberi potest: Sacerdos vel Diaconus ministrans in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum Communio nem dicendas (*Rit. Rom. tit. 4. c. 4*); in aliis autem cubiculis dicat tantummodo preces *Misereatur tui... Indulgentiam... Ecce Agnus Dei, Semel Domine non sum dignus,... Accipe frater (soror)... vel Corpus D. N. J. C.*; in ultimo cubiculo addat versum *Dominus vobis cum suo responsorio et cum sequenti oratione plurali numero dicenda Dne sancte, ibique, si qua particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam impertia tur; tandem reliquas preces praescriptas in Ecclesia de more persolvat. S. C. Rit. 9 Ian. 1929. A. A. S., p. 43.*

CAPUT IV.

SUBIECTUM SUSCIPiens EUCHARISTIAM

Quinque perpendenda sunt: 1^o de subiecto generatim; 2^o de obligatione suscipiendo; 3^o de dispositionibus requisitis; 4^o de communionis frequentia; 5^o quonam ritu suscipienda sit.

Articulus I.

Subiectum Eucharistiae generatim.

134. — **Praenotandum.** Varii sunt modi quibus Eucharistia suscipi potest. Sumptio huius Sacramenti dicitur *realis* in quantum Sacramentum ipsum in re suscipitur; dicitur *spiritualis*, in quantum res Sacramenti seu fructus eius percipitur. Sumptio realis subdividitur in *materialem* et *sacramentalem*; *materialis* est si sumitur ab eo qui incapax est

¹⁾ Cfr. *N. K. St.* 1919. p. 225-226.

huius Sacramenti (non-baptizatus) vel ab adulto qui est quidem capax sed caret intentione hoc Sacramentum suscipiendi; *sacramentalis* est, si sumitur ab eo qui huius Sacramenti capax est et praeterea, si est adultus, habet intentionem hoc Sacramentum suscipiendi. Porro sumptio sacramentalis est *sacramentalis tantum*, si sumitur sine debita dispositione ideoque sine fructu, aut *sacramentalis simul et spiritualis*, si cum fructu. Postremo datur et sumptio *spiritualis tantum*, quo modo, ut dicit Conc. Trid., sumitur ab iis « qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt ». (sess. 13. cap. 8.)

135. — Principia. I. *Subiectum capax Eucharistiae sacramentaliter sumenda est solus et omnis homo baptizatus.* Omnis enim baptizatus per se capax est ut ex opere operato per Sacramentum accipiat augmentum gratiae, nec Christus aliquem ab hoc Sacramento suscipiendo exclusit. Igitur etiam infantes ante usum rationis et perpetuo amentes sacramentaliter et cum fructu hoc Sacramentum suseipere possunt; in Ecclesia orientali infantibus de facto sacra Eucharistia ministratur, qui usus antiquitus etiam in Ecclesia latina vigebat.

II. *Ex praesenti Ecclesiae disciplina Eucharistia in Ecclesia latina danda non est nisi iis qui ad rationis usum pervenerunt.* Quare infantibus et perpetuo amentibus danda non est. Constat ex can. 854; ex Rit. Rom. tit. 4. cap. 1. n. 10 et 11; cfr. etiam Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. — Ratio prohibitionis est maior erga Sacramentum reverentia.

Opportunum quidem est et conformius naturae et effectibus Confirmationis, pueros prius confirmari quam ad sacram mensam accedant; Confirmatio enim est velut complementum Baptismatis, et in eo datur plenitudo Spiritus Sancti¹⁾; non tamen ideo prohibendi sunt a prima Communione, quod Confirmationem antea suscipere non potuerint.²⁾

SCHOLION

De Communione spirituali.

Communio spiritualis seu spiritualis tantum huius Sacramenti perceptio, quam Conc. Trid. (sess. 13. cap. 8) contra sacramentalem distinguit, consistit in manducazione spirituali Christi prout est sub speciebus huius Sacramenti sine sumptione sacramentali, in quantum scilicet aliquis *credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum.*³⁾ Tres potissimos complectitur actus: 1º actum *fidei* in Christum et in realem praesentiam Christi sub Sacramento; 2º actum *charitatis* cum actu contritionis si quis est in statu peccati mortalis; 3º actum *desiderii* sumendi hoc Sacramentum et fructum eius percipiendi, invitando Christum ut veniat in anima nostra eamque sibi uniat.⁴⁾

Communione spirituali percipitur effectus huius Sacramenti ex *opere operantis*, propter charitatis et desiderii actus, quibus homo unitur Christo et spiritualiter hoc caelesti cibo nutritur; ipsa tamen sacramentalis manducatio plenius inducit Sacramenti effectum quam solum desiderium.

¹⁾ S. Thom. 3. qu. 72. a. 2.

²⁾ S. C. de disc. Sacr. 30 Iunii 1932 (A. A. S. XXIV. 1932. p. 271.)

³⁾ Cfr. S. Th. 3. qu. 80. a. 2.

⁴⁾ Cfr. S. Thom. 3. qu. 80. a. 1. ad 3. et a. 2.

Communio spiritualis a Conc. Trid.¹⁾ et a sanctis maxime commendatur, tum propter abundantes fructus bonorum spiritualium, tum quia maxime Christum in hoc admirabili Sacramento honorat et animam praeparat ad frequenter et cum animi fervore Eucharistiam sacramentaliter sumendam; facienda est praecipue visitando SS. Sacramentum, tum praesertim Missa durante, ad communionem sacerdotis, ab eis qui non sacramentaliter communicant.²⁾

136. — Quaestiones. I. De communione puerorum. QUAER. 1º AN et QUANDO concedenda sit Eucharistia pueris.

Resp. Pueris usu rationis parentibus, Eucharistia ministrari nequit; quando autem RATIONIS USUM ADEPTI sunt, DEBITA INSTRUCTIONE PRAEMISSA ad sacrum Synaxim admittendi sunt. Hac aetate pueri etiam tenentur praecepto Viatici suscipiendi in periculo mortis et praecepto communionis paschalis. — Patet ex can. 854; et ex can. 859. § 1, qui omnibus rationis usum assecutis, obligationem imponit semel in anno Eucharistiae Sacramentum recipiendi. (cfr. tom. I. n. 1068.)

QUAER. 2º QUALIS USUS RATIONIS ad primam communionem requiratur.

Resp. Non requiritur usus rationis perfectus, sed sufficit talis, quo pueri incipiunt ratiocinari, quique habetur circa septimum aetatis annum. Ita antea ex decr. S. C. de disc. Sacr. 8 Aug. 1910; idem nunc deducitur ex can. 854 et 859. — Porro ex can. 88 expleto septennio puer rationis usum habere praesumitur; quare pueri post septennium completum disponendi et ad S. Communionem admittendi sunt, nisi pateat eos rationis usum assecutos nondum esse; ante illam aetatem praeumptionem contraria vincere debent.

Hunc rationis usum sufficere patet ex Codice. Etenim, secundum can. 854 coll. can. 859, ut ad sacram communionem admitti possint et debeant, sufficit talis rationis usus, quo possint habere dispositionem et instructionem de quibus infra sub qu. 3º, h. e. huius Sacramenti cognitionem et gustum habere possint. Haec autem quamprimum ad annos discretionis pervenerunt, etsi nondum perfectus sit rationis usus, brevi habere possunt; quod quoad cognitionem patet: et idem patet de gustu seu devotione, qui in eo est quod hoc Sacramentum seu Christum tamquam cibum animae recipere cupiunt.³⁾

Talis rationis usus sufficit non tantum ut ad sacram communionem admitti possint pueri, sed etiam ut teneantur praecepto Viatici et annuae communionis, etsi septimum aetatis annum nondum expleverint. Statuit quidem can. 12: «legibus mere ecclesiasticis non tenentur... qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur; hic enim in can. 859 expresse aliud cavetur. Ita in resp. Praes. Comm. Cod. ad Episc. Ballyfield, 3 Ian. 1918.⁴⁾

¹⁾ Cfr. et sess. 22, cap. 6.

²⁾ Cfr. Conc. Trid. l. c. Pius XII Encycl. *Meditatio Del.* 20 Nov. 1947. (A. A. S. 1947. p. 563).

³⁾ Codex igitur omnino confirmat normas decreto *Quam singulari* statutas, nec audiendi sunt qui putent post promulgatum Codicem tempus pueros ad S. Communionem admittendi differri posse ad expletum novennium vel etiam decennium. Cfr. N. K. St. 1918. p. 215; Vermeersch, *Epitome II*. p. 118. Quod confirmatur resp. Praes. Comm. Cod. Interp. ad episc. Nurciae, 24 Febr. 1920, cfr. Linz. Quartal. 1922. p. 113.

⁴⁾ Cfr. Linz. Quart. 1922. p. 113.

QUAER. 3º *Qualis INSTRUCTIO et DISPOSITIO ad primam communionem requiratur.*

Resp. Instructio et dispositio talis generatim loquendo requiritur, ut pueri huius Sacramenti cognitionem et gustum habeant. Perfectior autem requiritur extra periculum mortis quam in tali periculo:

1º *In periculo mortis*, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit et debeat, satis est, ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. (can. 854. § 2.)

2º *Extra periculum mortis* autem Codex pleniorum hanc cognitionem doctrinae christianaee et accuratiorem praeparationem merito declarat, eam scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medi ad salutem pro suo captu percipient et devote pro suaee aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant. (can. 854. § 3.) Perfectam vero catechismi cognitionem post primam communionem gradatim sibi comparare tenentur.¹⁾

QUAER. 4º *Cuinam competit iUDICIUM DE SUFFICIENTI PUERORUM DISPOSITIONE ad primam communionem.*

Resp. Competit puerorum *Confessario* eorumque *parentibus* aut iis qui loco parentum sunt. (can. 854. § 4.) Itaque admittere pueros ad primam communionem non est ius exclusivum parochi, et contrariae dispositiones synodorum diocesanarum aut conciliorum provincialium, itemque peculiares consuetudines sunt et manent abrogatae.

In institutis igitur et in collegiis, ubi pueri educantur, hi absque consensu parochi primam communionem, etiam sollemniter, peragere possunt,²⁾ salvo tamen parochi iure vigilandi, de quo cfr. quaestionem sequentem.

QUAER. 5º *Quodnam sit ius et officium PAROCHI hac in re.*

Resp. 1º Parochus ius et officium habet advigilandi, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione. Propterea etiam eos examini submittere potest, si opportunum prudenter iudicaverit, scil. si prudens habeatur suspicio ne Confessarius vel parentes hac in re imprudenter se gerant. (can. 854. § 5.) Primam tamen communionem *generaliter* conditioni *prae*vii** examinis subordinare, ex hoc canone haud posse videtur.

2º Ius et officium habet curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur. (can. 854. § 5.)

3º Debet peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instruere, ut sancte Sancta primum de altari libent. (can. 1330. 2º.)

137. — *De diversis aliis subiectis Communionis.* QUAER. 1º *An et quando communione concedenda sit amentibus, semifatuis, delirantibus, surdis-mutis, epilepticis, obsessis, sensibus destitutis.*

¹⁾ *De obligatione* *hac in re* cfr. *infra n. 138 II. in fine.*

²⁾ Cfr. *Il Monitore Ecclesiastico. tom. XXIII. p. 128.*

Resp. 1º *Perpetuo amentibus SS. Eucharistiam nulla ratione dare licet, ut supra dictum est. Amentibus autem, qui aliquando rationis compotes fuerunt et pie vixerunt, ideoque intentionem habitualem saltem implicitam Viatici suscipiendo habuisse censemur, Viaticum dari potest et debet in mortis articulo, si nulla irreverentia timenda sit, uti docet Catech. Rom. part. 2. cap. 4. qu. 50. Potest, quia omnia requisita adsunt; debet, quia praesumuntur tales interpretative communionem petere; pastores autem animarum tenentur ex iustitia Sacra-menta ministrare ovibus rationabiliter potentibus. — Dari autem non potest amenti, qui certo praesumatur in amentiam incidisse penitus imponitens. — Amentibus, qui aliquando habent lucida intervalla, si sufficientem huius Sacra-menti cognitionem habeant et devotionem ostendant, nec sit ullum indignitatis periculum, dari potest sacra communio dum in eo statu manent. Ita ex Rit. Rom. tit. 4. cap. 1. n. 10. (n. 301. 302. H. A. tr. 12. n. 43. 44.)*

2º *Semifatuis*, si sciant distinguere hunc cælestem cibum ab aliis, danda est communio in articulo mortis et in paschate et aliquoties per annum; pro maiori vel minori gradu discretionis quo utuntur. Non scrupulose in hac re procedendum est, cum S. Communio eis certo profutura sit et periculum irreverentiae non existat.¹⁾

3º *Infirmis delirantibus* Viaticum dari potest ac debet, quando sui compotes et dispositi sunt; quando autem sui compotes non sunt, periculum irreverentiae prohibebit quominus dari possit. Rituale Rom. tit. 4. cap. 4. n. 4. sic monet: «Diligenter curandum est ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim, sive ob assi-duam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest». ²⁾

4º *Surdi-muti* a nativitate, nisi in aliquo Instituto vel ab idoneo praeceptore instructi fuerint, absolutionis et communionis incapaces sunt; quia sine apta instructione ope litterarum, nullam Sacramentorum notitiam assequi possunt. Signa autem reverentiae vel pietatis, quae forte ostendunt alios imitando, exprimunt sine eorum intelligentia. Instructi vero, pro gradu cognitionis, sicut caeteri fideles, capaces sunt.

Parochi, si tales miseros inter oves suas habent, curare debent ut tempestive in aliquo Instituto recipiantur.

5º *Epilepticis* neganda est communio in paroxysmo tantum.

6º *Obsessis* a daemone communio similiter neganda est, quando non sunt sui compotes: caeterum expedit ut isti pluries in anno, secundum Confessarii prudentiam, communicent, cum Eucharistia speciale subsidium sit ad daemones arcendos. (n. 393.)

7º *Sensibus destituti*, v. g. ob apoplexiā, agoniam, Viaticum suscipere non tenentur, quia legis observandæ non sunt capaces. Nihilominus eis ministrari potest, si a) illam recipiendi intentionem habuerunt, quae in omnibus christiane viventibus supponitur, b) abest periculum irreverentiae et c) hostiam deglutire possunt, quod experimentum, factum cum levi cibo vel hostia non consecrata, docebit. Si autem Eucharistia ministrari potest, hoc etiam fieri debet, ob rationem supra quoad amentes traditam.³⁾

¹⁾ Noldin III. n. 134.

²⁾ Cfr. N. K. St. 1922. p. 141. 282.

³⁾ Cfr. N. K. St. 1906. p. 322-337.

QUAER. 2º *An communio concedenda sit capite damnatis.*

Resp. Affirm., si rite dispositi sint per confessionem; sunt enim tunc in articulo mortis, quo obligat praeceptum divinum communionis. — Potest porro reus laudabiliter communicare pridie, vel ipso die ultimi supplicii, modo communio per horam saltem praecedat exsecutionem. (*n.* 247. *Lib.* 3. *n.* 379.)

137^{bis}. — III. De communione via artificiali. QUAER. *An sacra communio possit et debeat dari iis qui nonnisi via artificiali eam sumere possunt.*

Resp. 1º Affirmative ubi ipse aesophagus est artificialis; quia eo in casu tota actio manducandi salvatur, nec ulla habetur irreverentia.

2º *Disputatur* quando aegrotus nutritur per fistulam aesophago, stomacho vel ventri applicatam. Aliqui negant esse licitum, tum quia non certo haberetur manducatio, tum quia reverentiae Sacramento debitae obesset, tum denique quia datur duplex responsum S. Officii tali administrationi Eucharistiae contrarium. In primo, 27 Ian. 1886, S. Officium ad quaestionem num S. Viaticum administrari possit introducendo sacras species directe in stomachum infirmi, cui a medico via infra pectus aperta sit ad cibum et potum excipendum, respondit: «Sicut exponitur, non expedire». ¹⁾ In altero, 27 Nov. 1919, S. Officium negative respondendum mandavit oratori cuidam, qui laborans carcinomia aesophagi, petierat facultatem sumendi SS. Eucharistiam per fistulam stomacho insertam, etsi argenteam et ad hunc finem specialiter destinatam. ²⁾

Alii e contra affirmant liceitatem, quia ex una parte probabiliter est tamen susceptio sacramentalis, ex altera vero parte non videtur esse maior irreverentia quam habetur dum medio cochlearis praebeatur infirmo sacra communio; responsa autem S. Officii particularia nondum faciunt legem generalem. Ita Lehmkuhl II¹². *n.* 192. Génicot *n.* 204. Prümmer III. *n.* 185. Ferreres II⁸. *n.* 427. ³⁾

Prior sententia videtur praeferenda; certo vero non habetur *obligatio* sic ministrandi Eucharistiam, quum sit modus dubius et inusitatus, imo practice non adhibeatur nisi consulto prius saltem Ordinario.

Articulus II.

Obligatio suscipiendi Eucharistiam.

Dicemus: 1º de obligatione generatim, 2º de obligatione Viatici in specie.

§ I. - OBLIGATIO GENERATIM.

138. — *Principia. I. Vera seu realis susceptio huius Sacramenti non est necessaria necessitate MEDII ad salutem.* Est de fide pro infantibus qui nondum ad rationis usum pervenerunt ex Trid. sess. 21. can. 4; adultis realem Eucharistiae susceptionem non esse simpliciter necessariam ad salutem certum est. — Ratio est quia quisquis est in statu gratiae, est filius

¹⁾ Cfr. apud Noldin. III¹⁴. *n.* 101.

²⁾ Communicatur in *N. K. St.* 1921. *p.* 15.

³⁾ Ittiam La Cava in *Period.* 1944 *p.* 161.

Dei, ius habens ad haereditatem gloriae caelestis, quod non potest amittere, nisi novo peccato; sed statum gratiae conferunt Sacraenta Baptismi et Poenitentiae sine reali susceptione Eucharistiae.

Disputatur inter theologos utrum Eucharistia *in voto* sit omnibus necessaria necessitate medii ad primam gratiam, ita ut Baptismus et Poenitentia non iustificant nisi cum voto saltem virtuali et implicito Eucharistiae.

Sententia quam cum S. Alfonso probabiliorem censemus affirmat cum S. Thoma¹⁾ et Catech. Rom.²⁾ Ratio est, quia alia Sacraenta non conferunt gratiam nisi respiciendo ad Eucharistiam tamquam omnium Sacramentorum finem et in virtute Eucharistiae, quae ex seipsa virtutem infundendi gratiam habet.³⁾ — Nota hoc votum adultis in ipsa intentione Baptismi suscipiendo includi; parvuli autem, ut dicit S. Thomas: «sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam et per consequens recipiunt rem ipsius».⁴⁾ (n. 192.)

Controvertitur etiam an Eucharistia, in re vel in voto, adultis sit *medium necessarium ad vitam spiritualm DIUTIUS CONSERVANDAM*. Negant aliqui, dicentes ad hoc esse alia media. Sed affirmant alii cum S. Thoma²⁾; imo communiter necessitas saltem moralis admittitur. Ratio necessitatis est, quia sicut vita corporis diu non potest conservari sine cibo corporis, ita nec vita animae sine hoc cibo spirituali. Quocirca notes in hac sententia per se ipsam realem Sacraenti sumptionem requiri. (n. 193.)

II. Eucharistia adultis necessaria est necessitate gravis PRAECEPTI, tum divini, tum ecclesiastici. Praeceptum divinum constat ex verbis Christi apud Joan. VI. 54: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis». Praeceptum ecclesiasticum constat ex can. 859. § 1, in quo Communio paschalis, et ex can. 864. § 1, ubi Viaticum suscipiendum praescribitur.

Circa PRAECEPTUM DIVINUM notandum est: 1º SUBIECTUM praecepti divini sunt ii qui rationis usu fruuntur ita ut huius Sacraenti cognitionem et gustum concipere possint. (cfr. supra n. 136.) Ii autem qui ad rationis usum nondum pervenerunt, nulla obligantur necessitate ad huius Sacraenti perceptionem ut declaravit Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. et can. 4.

Obligatio praecepti communionis sumenda, quae *impuberis* gravat, in eos quoque ac praecepit recidit, qui ipsorum curam habere debent, id est in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum. (c. 860.)

Praeceptum divinum obligat etiam non-baptizatos; non tamen immediate, sed *mediate* tantum. (cfr. tom. I. n. 139.)

2º Ii qui non actu celebrant sacrificium Missae satisfaciunt praecepto divino communione sub UNA SPECIE, ut declaravit Conc. Trid. sess. 21. can. 2. Imo in Ecclesia Latina non nisi sub sola specie panis communionem praebere licet (can. 862), quod iustis de causis introductum fuisse idem Conc. Trid. l. c. declarat.

3º Praecepto Communionis *non satisfit per SACRILEGAM communionem*. (canon 861.)

De praecepto ecclesiastico annuae communionis egimus tom. I, n. 1068 sequ.

¹⁾ Cfr. 3. qu. 73. a. 3; 3. qu. 79. a. 1; 3. qu. 79. a. 3; 3. qu. 80. a. 2 et 11.

²⁾ Cfr. de Euch. n. 50. n. 47.

³⁾ Cfr. S. Th. 3. qu. 79. a. 1. ad 1m et ad 2m. Item Catech. Rom. de Euch. l. c.

⁴⁾ S. Th. 3. qu. 73. a. 3.

⁵⁾ 3. qu. 80. a. 11.

III. *Praeceptum divinum communicandi obligat PER SE:* 1º in periculo mortis; 2º pluries in vita. Cui obligationi satisfit communicando quoties urget praeeptum ecclesiasticum, h. e. semel in anno. Aliquando tamen per accidens homo ad communicandum etiam saepius in anno teneri potest. (n. 259.)

Dixi: praeeptum divinum PER SE obligat: 1º *in periculo mortis*, nam a) ex antiquissimis Conciliis et Pontificibus constat, semper ab Ecclesia diligentissime curatum esse ne moribundi sine Viatico decadant, e. g. in Conc. Nicaeno I can. 13, ubi Viaticum dicitur *necessarium*: unde merito colligitur eam consuetudinem in Christi mandato esse fundatam; et ratio est, quia Viaticum differt ab ordinaria communione, quod in hac gratia bene vivendi, in illo bene moriendi datur et petitur; b) obligatio communicandi tum certe urget, cum *necessarium* putabitur; nunquam autem potest maior esse necessitas huius eibi quam in articulo mortis, ex quo pendet aeternitas et imminet ultima lucta cum hoste. Unde statuit can. 864. § 1: «*In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praeeptum tenentur.*» — 2º *Pluries in vita*; quia, sicut non satis est cibum corporalem semel in vita sumere, ita neque spiritualem; quandoquidem calor concupiscentiae et fomes peccati non minus debilitant animae vires, quam calor naturalis vires corporis. — Quoties autem hoc Sacramentum suscipiendum sit, Christus non determinavit, sed reliquit determinandum ab Ecclesia; unde implendo praeeptum Ecclesiae quisque simul satisfacit praeepto divino. Praeceptum autem ecclesiasticum imponit communionem semel in anno, saltem in Paschate. (can. 859. § 1. Cfr. supra tom. I. n. 1068-1071.)

PER ACCIDENS oritur obligatio ad communionem saepius in anno, si quis tam gravem et diuturnam patiatur tentationem, ut ad illam superandam huius Sacramenti auxilium *necessarium* existimet. Hoc tamen raro evenit, cum ad id sufficere possint alia subsidia, puta orationes, poenitentiae, fuga occasionum etc. Quando porro communio *necessaria* sit, homo eam omissendo non peccet contra illius praeeptum, sed contra virtutem, adversus quam tentatur. (n. 295.)

Nota. 1º *Expedit*, ut feria V maioris hebdomadae omnes clerci, etiam sacerdotes, qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi corpore in Missa sollemni seu conventuali reficiantur. (can. 862.)

De obligatione eorum, qui ad ordines maiores promoti sunt, communicandi in Missa ordinationis, cfr. infra. n. 611.

§ II. - OBLIGATIO VIATICI SUSCIPENDI.

139. — Principia. I. *In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praeeptum tenentur.* (can. 864. § 1.) Praeceptum Viatici sumendi obligare incipit quando quis in gravi periculo mortis est constitutus, sive ex causa *interna* proveniat, sive ex causa *externa*; nec requiritur quod mors iam proxime instet.

Unde sub hoc praeepto cadit: infirmus qui graviter decumbit cum mortalibus signis; homo, qui periculosum praelium aut pericolosam navigationem aggressurus est; navigantes in gravi periculo naufragii constituti; capite damnati instante executione sententiae; mu-

lieres quae prima vice parturiunt et adolescenti aetate aut imbecilla corporis constitutione sunt, aut quae cum periculo eniti consueverunt. (H. A. n. 19.)

II. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries distinctis diebus administrari et licet et decet. (can. 864. § 3.) Debet igitur durante mortis periculo, Eucharistia ministrari tamquam Viaticum nec obligatio ieunii hoc in casu habetur. Cfr. supra n. 125. II et infra n. 159.

III. Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; quia secus timendum est ne non compotes illud recipient. Quare qui curam animarum gerunt, sedulo advigilare debent ut infirmi plene sui compotes hoc sacramento reficiantur. (can. 865.)

140. — Quaestiones. QUAER. 1º *An teneatur quis suscipere Viaticum, instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicavit.*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat et, secundum nonnullos, etiamsi communio praecesserit octo circiter diebus; quia finis praecepti est ut per communionem homo se ad transum ex hac vita praeparet, quod satis assequitur paulo ante mortem communicando; is ergo sensus praecepti esse videtur. — Haec sententia est satis probabilis, saltem si periculum mortis naturaliter accidat; quia tunc brevi illo tempore antecedente iam mortaliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum.

2ª Sententia probabilior affirmat; quia praeceptum praecise obligat instante periculo mortis; atqui non potest satisficeri praecepto, antequam illud incipiat obligare. Nec obstat ratio primae sententiae; quia, si valeret, sequeretur eum, qui pridie Palmarum communicasset, non teneri ad communionem paschalem, quod nemo concedet. (n. 285. dub. 2.)

QUAER. 2º *Si quis mane in ecclesia communicavit ex devotione, et per diem incidat in mortis periculum, ita ut prudenter timeatur ne eo ipso die intereat, aut saltem Viaticum recipere amplius nequeat, num debeat aut possit eodem die iterum communicare in modum Viatici.*

Resp. Certo licet iterum communicare; statuit enim can 864. § 2: «Etiamsi (fideles) eadem die sacra communione fuerunt refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent». Quare in ordine ad liceitatem iam non videtur distinguendum inter periculum ex causa externa atque periculum ex causa interna subortum. Quoad vero obligationem, haec probabilius admittenda videtur, quoties periculum ex causa externa proveniat, puta ex lapsu, ex demersione, ex perfractione; quia homo tunc revera nondum communicavit in mortis periculo constitutus; neganda est, si ex causa interna oriatur, puta ex apoplexia, ex aneurismo; quia tunc iam aderat mane mortis periculum, etsi ignotum. (n. 285. dub. 3.)

QUAER. 3º *Quid faciendum sit, si infirmus Viaticum sacrilege suscepit.*

Resp. Cum infirmus praeceptio Viatici non satisfecerit, tenetur adhuc illud implere, quatenus fieri possit sine periculo infamiae. (cfr. can. 861.) Quem ad finem alio die illi dandum est Viaticum, praetexendo communionem ex devotione. Quodsi tempus ad id non suppetat, vel si hic modus non satis provideat famae infirmi, videtur adesse ratio sufficiens ad Viaticum elanculo deferendum. Quod in casu etiam Confessarius Regularis facere potest, ne infirmi sacrilegium prodat.

Aliquando prudentia suadebit infirmum hortari quidem ad iterandum Viaticum, obligationem vero tacere.

Denique, si post Viaticum digne susceptum mortaliter peccaverit, non tenetur iterum illud sumere. (n. 293.)

*Articulus III.***Dispositiones ad Communionem requisitae.**

Sunt dispositiones requisitae a parte animae, et a parte corporis.

§ I. - DISPOSITIONES ANIMAE.

A parte animae, ut homo reverenter ad Sacramentum Eucharistiae accedat, requiritur: 1º dispositio *necessaria*, scil. status gratiae, et 2º dispositio *conveniens* quae est actualis devotio. De utraque seorsum.

Punct. I. Status gratiae.

141. — Necessitas status gratiae. Ex dictis supra n. 34. iam constat dispositionem necessariam ad fructuosam huius Sacramenti susceptionem esse statum gratiae. Quae quidem necessitas maiorem vim habet in hoc Sacramento, quia ipse fons gratiae in eo continetur, qui est supra omnia sanctus, et ideo sanctius quam caetera Sacraenta tractari debet. — Recipere ergo hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis ingens est sacrilegium.

Rationes sunt: 1º ob sanctitatem Sacraenti in quo ipse Christus est praesens; quam rationem assignat Apostolus I Cor. xi. 29: « Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diuidicans Corpus Domini », i. e. non discernens ipsum a cibo profano; 2º ob significationem eius; significat enim unionem et amicitiam cum Christo eiusque membris; qui autem est in peccato, non habet hanc unionem; ergo, quantum in se est, falsam reddit significationem huius Sacramenti, quod est gravis irreverentia. Propterea comparatur hoc peccatum cum peccato Judae, qui osculo tradidit Christum; nam uterque Christo praebet falsum amicitiae signum.

Superest expendendum, quomodo homo debeat se ad gratiam disponere, utrum nempe contritio sufficiat, an vero requiratur Confessio.

142. — Confessio praemittenda. I. *Nullus sibi conscientius peccati mortalis quantumvis contritus sibi videatur, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat.* Ita Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. et can. 11; item can. 856 et can. 807. — Constat ex verbis Apostoli I Cor. xi. 28: « Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat »; alioquin panem vitae in mortem et condemnationem accipiet. Ecclesiae autem consuetudo declarat, inquit Trid., Confessionem esse eam probationem necessariam.

II. *Licet Eucharistiam accipere, praemissa sola contritione sine confessione, quando urget necessitas communicandi aut celebrandi, et deest copia Confessorii.* Ita Trid. l. c. et can. 856 et 807. Ratio est, quia praecepta positiva non obligant cum gravi incommmodo.

III. Sacerdos qui in praefato casu sine praevia confessione Missam celebraverit, ex praecepte Ecclesiae quamprimum confiteri tenetur. Ita Trid. l. c. et can. 807. Hoc praeceptum quamprimum confitendi obligat tantum sacerdotes celebrantes, non vero laicos nec sacerdotes qui sacram communionem recipiunt quin celebrent. Patet ex verbis legis, quae expresse de sacerdote celebrante loquitur; deinde ratio differentiae est, quia eo ipso quod haec necessitas frequentius accidat sacerdotibus, merito hac obligatione praeveniuntur, ne facile confessionem praetermittant.

143. — Quaestiones. I. De praecepto confitendi. QUAER. 1º *An praeceptum praemittendi confessionem ante communionem sit divinum vel ecclesiasticum.*

Resp. Sententia sec. S. Alf. vera, et apud antiquiores DD. communis, contra paucos, docet praeceptum hoc *divinum* esse. Christus enim per Apostolum (I Cor. XI. 23. 28.) dedit praeceptum probationis: «Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis... Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat». Porro traditio ecclesiastica illam probationem semper intellexit de probatione per confessionem. Ita v. g. S. Cyprianus (*de lapsis* n. 15. 16), S. Hieronymus (Tract. in Marc. v. 30-40), S. August. (Migne P. L. XXXIX. col. 1546), S. Chrysost. (P. G. LXI. col. 140.), S. Leo M. (P. L. LIV. col. 1011.)¹⁾

Etiam Trident. sess. 13. cap. 7. dicit *ecclesiasticam consuetudinem declarare* hanc probationem necessariam esse.²⁾

Haec sententia indirecte confirmatur ex eo quod in praecepto ecclesiastico Papa posset dispensare, illudque consuetudine contraria tolli; utrumque autem de hoc praecepto communissime negatur. Ita Prümmer III. n. 192. Cfr. etiam Cappello n. 488. (n. 256.)

QUAER. 2º *Si quis post confessionem validam et fructuosam recordetur alicuius peccati mortalis INCULPABILITER OBLITI, an teneatur ante communionem illud confiteri.*

Resp. Negat., secundum sententiam omnino tutam et hodie dum communem; quia, qui confessionem communioni praemisit, implevit praeceptum confessionis, qua peccatum oblitum est indirecte remissum, et poenitens probatus existit, iustificatus nempe, non per solam contritionem, sed per confessionem. Praxis autem fidelium, quae opponitur, non est habenda ut regula obligationis, sed potius ut pius et laudabilis usus, qui suadendus est quoties causa aliqua aliud non suadeat. (n. 257. H. A. n. 23.)

QUAER. 3º *An praefatus homo, si confiteri vel nequeat vel nolit, teneatur ante communionem novum actum contritionis elicere.*

Resp. DD. communiter negant; quia supponitur in statu gratiae esse per confessionem factam, ergo non est fundamentum unde et ad quid contritio re-

¹⁾ Cfr. Vacant. *Dictionnaire Théologique*. III. col. 504.

²⁾ Cfr. tamen Theiner. *Acta Concilii Tridentini* t. 1. p. 519. et Pallavicini. *Histoire du Concile de Trente*. I. XII. vol. 1695.

quiratur: non ex praeecepto, quia nullibi invenitur; non ad delendum peccatum, quia iam deletum est. (n. 257.)

QUAER. 4º An DUBITANS num sit in gratia possit communicare.

Resp. 1º Nequit communicare in tali statu; colligitur enim ex dictis in hoc praecipue Sacramento requiri statum gratiae moraliter certum.

2º Quoad autem confessionem praemittendam opus est distinctione. a) Qui certus est de peccato mortali commisso, communicare non potest, nisi per confessionem rite probatus fuerit, ita ut de statu gratiae recuperato grave dubium non exstet; quia urget eum praeceptum probationis. b) Si quis autem dubitat num graviter peccaverit, potest, non praemissa confessione, ad communionem accedere, et sufficit quod perfectam contritionem praemittat. Ratio, quia praeceptum probationis, cuius gratia praecelta est confessio, uti declaravit Trid. ligat solos consciens, qui nempe certe sciunt se mortale commisisse, quod nondum confessi sunt, ut idem Trid. declarat.

Caeterum in praxi omnino suadenda est confessio, propter conscientiae tranquillitatem. Excipe tamen eos, qui sunt timoratae conscientiae, et non solent lethaliter peccare; hi enim in dubio certe credere possunt se non graviter peccasse, quia ex communiter contingentibus prudens depromitur praesumptio; unde neque ad actum contritionis tenentur. (n. 258. 432. 475. 476. H. A. n. 34. r. 16. n. 6.)

144. — II. De necessitate communicandi vel celebrandi. QUAERITUR Quae NECESSITAS excusat a praemittenda confessione.

Resp. Excusat necessitas gravis seu urgens, qualis est: 1º Periculum infamiae, v. g. si quis iam est in scamno communicantium, a quo recedere non valet quin ab aliis notetur.

Si, allato Viatico ad infirmum, tempus non suppetat ut confessio *integra* compleatur sine periculo mortis vel infamiae, sacerdos, auditio aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei ut postmodum confessionem integrum faciat, eique communionem praebere.

2º Necessitas sumendi Eucharistiam ut a profanatione salvetur; quando sc. non est alia via ad profanationem praecavendam.

3º *Necessitas inchoatum Sacrificium absolvendi*, puta si quis sacerdos, incepta iam Missa, recordetur se peccatum mortale commisisse, et non esse confessum, vel si in ipsomet actu Sacrificii illud committat, v. g. pravo consensu, dubitatione contra fidem.

Et quidem, si id contingat post consecrationem, debet actum contritionis elicere sine confessione, et Missam proseQUI; quia non licet Sacrificium iam substantialiter inchoatum interrumpere. Si eveniat ante consecrationem, debet Confessarium accersere, si adsit et sine nota fieri possit, ut breviter confiteatur; quia illa prior pars Missae est Sacrificio extrinseca, et ideo ex rationabili causa interrumpi potest, sicut per concionem fieri solet. Quod si in posteriori casu confiteri nequeat, Missale de defect. tit. 8. n. 5. statuit: « Si non timetur scandalum, debet Missam deserere »; quocirca duo notanda sunt: a) incertum esse num haec verba praeceptum grave significant; b) vix eventurum esse ut sacerdos sine nota Missam incep tam deserere valeat. Ultra notandum est, quod si in contritione concipienda sacerdos delinquit, negligentia sua delinquit, aut peccato adhaeret; Deus enim impossibilia non iubet, sed potentem adiuvat.

4º *Obligatio ex officio celebrandi Missam*, ut populus ei intersit, dummodo non adsit alius sacerdos qui celebret, aut, etsi alius adsit, celebratio tamen omitti nequeat sine infamiae periculo.

Hic casus respicit Parochos, eorumque cooperatores; aliis vero sacerdotibus, excluso infamiae periculo, non licet sine confessione celebrare ut populus Missam audiat; quia, cum populus non peccet omittendo Missam dum nullus est qui celebrat, alii sacerdotes nullam habent obligationem celebrandi.

5º Necessitas celebrandi *ut moribundo Viaticum ministrari possit*.

Utrum autem liceat si secus praeceptum annuae communionis impleri nequeat vel si sacerdos Missam de pracepto audire non possit nisi celebret, disputatur; utraque sententia probabilis est. (n. 259-263. H. A. n. 24. 25.)

145. — III. De inopia Confessarii. QUAER. 1º Quandonam deesse censeatur COPIA CONFESSARI.

Resp. Quando ab una parte vel *nullus* approbatus aut *nullus* cui quis licite confiteri potest (cfr. supra n. 36) praesto adest, vel non adest nisi idiomaticus ignarus, aut talis, cui sine gravi damno proprio aut alieno quis confiteri non possit; ab altera parte Confessarius absens sine magna difficultate adiri nequit.

Magna haec difficultas aestimanda est, spectatis quoque tum debilitate, aetate, et negotiis personae, tum circumstantiis tempestatis, brevitatis temporis, et distantiae. Ut porro *distantia per se*, independenter ab aliis adiunctis, excuset, alii duas leucas alii unam tantum requirunt; spectata tamen debilitate sacerdotis, aut infamiae sive scandali periculo, vel brevitate temporis quo celebrare debet, poterit minor, imo parva distantia excusare. (n. 264.)

Non deest copia confessarii ei, qui in necessitate communicandi vel celebrandi constitutus, habet peccatum reservatum ratione sui vel ratione censurae a iure reservatae, dum nemo facultate absolvendi a reservatis praeditus, praesto adest; potest enim apud simplicem confessarium confiteri, qui in eo casu ipsum directe absolvere potest, tum si peccatum est reservatum ratione censurae a iure reservatae (cfr. infra n. 994), tum si peccatum est reservatum ratione sui. (cfr. infra n. 392.)

QUAER. 2º An deesse censeatur copia Confessarii, si nullus adsit nisi familiaris, apud quem confiteri et quocum deinceps conversari poenitens erubescit.

Resp. Negat.; quia praefatum incommodum est *intrinsece* adnexum confessioni. Atqui inauditum est in Ecclesia incommodum legi confessionis *intrinsece* adnexum ab eius observatione unquam excusare. Insuper, si talis erubescientia valet excusare, quis limites excusationibus assignabit? Unde, quemadmodum huiusmodi verecundiae incommodum non excusat a pracepto integritatis confessionis, sic nec etiam a pracepto confessionis. Ita Sporer part. 2. n. 484. Soto in 4 Sent. dist. 12. qu. 1. art. 4. in fine. Suarez de Euch. disp. 66. sect. 4. n. 2. Silvius in p. 3. qu. 80. art. 4. qu. 2. Salmant. tr. 4. cap. 7. n. 43. Gury Cas. conse. n. 287. 288. Lehmkuhl II. n. 206. Prümmer III. n. 192. Merkelbach III. n. 272.

Alius esset casus, si sacerdos, v. g. aetate venerabilis, merito timeret, ne iunior confessarius sibi familiaris, audiens gravia sua peccata, *scandalum* inde

sumeret; periculum enim scandali seu ruinae spiritualis proximi est incommodum confessioni extrinsecum. (cfr. infra n. 305. 3º.) Item extrinsecum esset incommodum, si quis prudenter timeret, ne confessarius ille familiaris quasi inscius ipsi postea animum minus benevolum ostenderet; quod esset *fractio suggilli*, saltem materialis. (l. c. 2º.)

Sunt tamen auctores quibus incertum saltem videtur, num verecundia *extraordinaria* recapse dicenda sit incommodum intrinsece legi confessionis annexum. Hinc putant satis probabile esse, *aliquando* verecundiam illam fieri posse talem, ut obligationi confessionis praeponderet. Advertat tamen ille cui haec sententia cum auctoribus istis propter rationes ad ipsis allatas satis probabilis videretur, nullam excusationem admitti posse ne ab istis auctoribus quidem *ex hoc solo facto* quod quis, in peccatum mortale lapsus, confiteri deberet sacerdoti cum quo in eadem domo habitet; sed eos require ut agatur de peccato *valde probroso* confitendo apud sacerdotem *specialiter* poenitenti coniunctum (ob proximam v. g. consanguinitatem) ita ut quasi invincibilem repugnantiam haberet illud ei confitendi; sola relatio parochum inter et vicarium non sufficit. Et si agatur de sacerdote, qui pravae *consuetudini* indulgeat, atque hac sententia nixus, non raro sine confessione celebret, eius excusatio semper repellenda est; tunc enim reverentia erga SS Eucharistiam et frenum quod ipsa necessitas confitendi imponit, evidenter praeponderant repugnantiae illi, quam ergo ope gratiae divinae vincere oportet. Cfr. v. g. Vermeersch. *Op. Mor.* III. n. 317. In genere maxima circumspectione hac sententia utendum est ne gravissimi abusus irrepant cum maximo animarum detimento.

146. — IV. De pracepto confitendi quamprimum post Missam. QUAER. 1º Quomodo intelligendum sit praceptum a Conc. Trid. sacerdotibus impositum confitendi QUAMPRIMUM.

Resp. Duplex hac de re propositio damnata est ab Alex. VII, scil. 38: Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praceptum; et 39: Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

PORRO DD. communiter dicunt *per se* sufficere quod sacerdos *intra triduum* confiteatur; quia, cum hoc praceptum sit tantum ecclesiasticum, illud *quamprimum* moraliter debet intelligi, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi illud verbum, aut aliud simile, ex communi interpretatione ad spatium trium dierum extenditur. Verumtamen aliquando *per accidens* tenebitur sacerdos ille eodem die, imo forte eadem hora confiteri, puta si tunc Confessarium habeat, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeat celebrandi, et Confessarius defuturus sit. (n. 266.)

QUAER. 2º An teneatur quamprimum confiteri celebrans POST CONFESSIONEM, in qua inculpabiliter oblitus est alicuius peccati mortalis.

Resp. Si meminerit post celebrationem, utique non tenetur; quod ipsum quoque dicendum, etiamsi in Missa post communionem recordetur; quia non sibi conscient peccati mortalis, absque confessione celebravit, ut requirit Trid. — Si vero meminerit *ante* celebrationem, multi affirmant eum teneri; sed probabile est eum non teneri sicut nec tenebatur confiteri *ante* celebrationem; quia iste dici non potest celebasse conscient peccati sine praevia confessione, prout dictum est sub I in qu. 2. (n. 267.)

QUAER. 3º An celebrans NON CONFESSUS, qui intra Missam recordatur peccati, teneatur confiteri quamprimum.

Resp. Controv. Alii affirmant; quia tunc vere celebrat conscius peccati sine confessione propter urgentem necessitatem, quod est totum a Trid. requisitum.

Alii vero probabiliter negant; quia Missale de defect. tit. 8 diverso modo loquitur de sacerdote, qui *ante* celebrationem, et de eo, qui *sub* celebratione habet conscientiam peccati mortalis; nam in primo casu iubet ut conteratur et postea quamprimum confiteatur; in secundo autem casu solum exposcit ut conteratur cum proposito confitendi et non adiungit *quamprimum*. (n. 267).

QUAER. 4º *An teneatur quamprimum confiteri sacerdos SACRILEGE celebrans, qui nempe non habet celebrandi necessitatem, vel qui, stante tali necessitate, copiam habet Confessarii, et nihilominus celebrat sine confessione praemissa.*

Resp. Negat.; quia Concilium solum loquitur de illo, qui *necessitate urgente* hoc facit. Praeterea adest diversitas; nam hoc praeceptum spectat ad metum incutendum iis, qui praetextu necessitatis celebrandi diu differre possent confessionem, posito autem hoc novo praecepto, diligentius quaerent Confessarium; illis autem, qui ex malitia id faciunt, non esset utile, sed occasio certa novi peccati sine spe fructus; illi enim qui, contempto praecepto divino, audent in peccato scienter celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent praeceptum. *Ita communiter, contra nonnullos.*

Advertendum tamen, sacerdotem, qui, *urgente necessitate, et deficiente Confessario*, sine contritione ideoque sacrilege celebrat, comprehendi praecepto confitendi *quamprimum*; quia verba praecepti non distinguunt inter sacerdotem habentem vel non habentem contritionem, sed loquuntur de quocumque sacerdote non praemittente confessionem *ob necessitatem*. (n. 266).

Punct. II. Actualis devotio.

147. — *Necessitas actualis devotionis.* Praeter statum gratiae tamquam dispositionem omnino necessariam, requiritur in suscipiente Eucharistiam actualis devotio, seu erectio mentis ad Deum. Huius defectus non simpli- citer impedit fructum Sacramenti nec culpam veniale excedit, et ob mentis hebetudinem aut evagationem interdum sine peccato est¹⁾; ab ipsa tamen maxime dependet, an ubiores gratiae quae sacramentum hoc conferre queat, etiam de facto percipientur.

Unde, quam diligentissime pro tempore fieri potest, fidelis ad communionem sese praeparet et post s. communionem « iuxta uniuscuiusque vires, conditiones ac officia »²⁾ aliquod temporis spatium, v. g. quadrantem, aut, si fieri possit, etiam diutius, gratiarum actioni impendat.³⁾

148. — Quaestiones. *QUAER.* 1º *An Eucharistiam recipere in PECCATO VENIALI sit novum veniale.*

Resp. Dist. Accedere cum peccato veniali *habituali* non est peccatum, quia est potius defectus perfectae reverentiae, quam positiva irreverentia.

¹⁾ Cfr. S. Th. 4. dist. 9. qu. 1. a. 4. sol. 2.

²⁾ Decr. S. C. C. Sacr. Trid. Syn. 20 Dec. 1905. n. 4.

³⁾ Cfr. Rit. Rom. tit. 4. cap. 1. n. 3 et 4; cfr. et infra n. 166. V.

Accedere vero cum peccato veniali *actuali affidente ipsam communionem*, v. g. communicare ob vanam gloriam, certo est peccatum veniale; similiter accedere cum peccato veniali concomitante, v. g. cum voluntaria distractione, vel cum actuali aut virtuali affectu ad peccatum veniale verius et communius affirmatur esse peccatum veniale, quia est aliqua positiva irreverentia. (n. 270. *Praxis conf.* n. 149. *nota Gaudé.* d.)

QUAER. 2º *An veniale peccatum impedit fructum Sacramenti.*

Resp. Dist. Peccata venialia *praeterita* nullo modo impediunt effectum; quia potest aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedere ad Sacramentum, sive plene eius consequi effectum.

Peccatum autem veniale *actuale*, in actu communionis commissum, et *actualis* vel *virtualis* affectus ad peccatum veniale, non impedit praecipuum effectum Sacramenti, nempe augmentum gratiae, sed impedit aliquos effectus, praesertim *actualem fervorem charitatis*. Ratio prioris est, quia peccatum veniale non *pugnat* cum gratia habituali, neque cum quocumque augmentatione eius, ex opere operato conferendo; ergo neque *impedit* illud; deinde, qui accedit in gratia, digne accedit, ergo recipit effectum Sacramenti. Ad haec, si peccatum veniale esset obex gratiae, sequeretur, accessum ad Sacramentum cum tali dispositione esse peccatum mortale et *indignam sumptionem Sacramenti*; quia accipere Sacramentum, ponendo obicem principali effectui eius, est gravis irreverentia et abusus Sacramenti. Ratio posterioris est, quia *actualem devotionem impedit*. (n. 270. S. Thom. 3. *qu. 79. a. 8.*)

§ II. - DISPOSITIO CORPORIS.

A parte corporis requiritur: 1º capacitas communicandi, 2º decens corporis habitus, 3º carentia inquinamenti, seu corporis munditia, 4º abstinentia cibi et potus, seu iejunium.

Punct. I. Capacitas communicandi.

149. — Regula. Ut liceat alicui Eucharistiam recipere opus est ut sit capax communicandi quin indecentia aliqua cum iniuria Sacramenti prudenter timenda sit, h. e. ut constet ipsum sacram Hostiam *deglutire* et *in stomacho retinere* posse.

Primo requisito obstat *tussis assidua*; si namque ita assidua sit, ut non permittat Hostiam in stomachum descendere, ob reverentiam abstinentum est a communione, uti habetur in Rit. Rom. tit. 4. cap. 4. n. 4. Si vero *tussis* non adeo continua sit, non impedit communionem; quia, etiamsi phlegma plerumque extussiatur, non est tamen periculum sacras species reiciendi, cum via phlegmatum non sit aesophagus, seu via cibi et potus ad stomachum, sed aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones.

Alteri requisito obstat *periculum vomitus*; si is enim timeatur, potius est omittenda communionio, quam permittenda tanta indecentia, ut tradit Rituale loc. cit. Idecirco: 1º quando aeger iugi vomitu laborat, non potest communicare, nisi saltem per sex horas ab illo liber

sit, aut nisi allunde constet periculum vomitus cessasse. In dubio autem num aeger Hostiam sit revomiturus, non licet ei communionem praebere; quia reverentia sacramenti praeponenda est utilitati infirmi. 2º Si vomitus proveniat *ex cibo*, quotiescumque infirmus eum sumit, debet prius experimenti causa dari ei hostia non consecrata; quam si retineat, potest ei dari consecrata.¹⁾ (n. 292. H. A. n. 20. 21.)

Punct. II. Decens corporis habitus.

150. — Regula. Quoniam Sanctissimo huic Sacramento debetur non solum interna, verum etiam externa veneratio et adoratio, necesse est ut is, qui ad illud accedit, *in ipso habitu et actione corporis reverentiam ac devotionem pree se ferat.*

151. — Unde: 1º monet Rit. Rom. *tit. 4. cap. 1. n. 3. 4:* «Omnis... utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viri, quantum fieri potest, a mulieribus separati. Moneantur praeterea communi- cantes, ut, sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut collo- quantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut exspuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant: sed, qua par est devotione, aliquantis per in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima passione Dominica, in cuius memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur».

2º Debent mulieres ad communionem *modeste* accedere, pectore cooperto, et sine vano ornatu; *si qua nimis immodeste accedat, ei neganda est Communio*, praesertim si publica monitio praecesserit. Unde iuxta Codicem mulieres in eccllesia sint capite cooperto et modesto vestitu, maxime cum ad mensam dominicam accedunt. (can. 1262. § 2.)

3º Congruit ut milites depositis armis ad sacram mensam accedant, nulla tamen lege ad id obligantur.

4º «Si sacerdotibus vel aliis ex Clero danda sit communio, iis ad gradus Altaris genuflexis primos praebatur, vel, si commode fieri potest, intra sepimentum Altaris sint a laicis distincti. *Sacerdotes vero et diaconi communicantes utantur stola coloris albi vel eiusdem coloris ac sacerdos qui ministrat*» (Rit. Rom. *tit. 4. cap. 2. n. 4.*) Hinc, quamvis communiter DD. excusent a mortali sacerdotem, qui more laicorum sine stola in ecclesia communicaret, quia res non est revera gravis, nec usu videtur eo sensu recepta, merito tamen non excusant a veniali, ob praeceptum Ritualis. (n. 275. 276. H. A. n. 58.)

Punct. III. Corporis munditia.

152. — Regula. Nullum corporis inquinamentum *per se* impedit communionem; quia, si non ex peccato provenit, neque reverentiae neque devotioni adversatur. Potest tamen aliquando *per accidens* propter effectus ex illo provenientes, communionem impedire, sive de consilio, sive sub veniali peccato; quia interdum impedit hominem quominus cum debito decore ac devotione accedat. (n. 271.)

¹⁾ Quid faciendum si infirmus evomat Eucharistiam efr. infra. n. 174. qu. 3.

Corporis immunditia provenit praecipue ex pollutione, ex copula co*nigali*, et ex morbo patenti. De singulis disseremus.

153. — Quaestiones. QUAER. 1º *An POLLUTIO NOCTURNA sequenti die impedit a communione.*

Resp. Dist. Si fuerit *voluntaria*, ideoque mortalis culpa sed contritione et confessione expiata, impedit sub veniali peccato, propter reverentiam tanto Sacramento debitam: nisi tamen scandalum vitandum, regula Ordinis, vel alia iusta causa communionem exigat, prout prudenti Confessario videbitur, ut loquitur Missale de defect. tit. 9. n. 5: «Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione, quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinentum est a communione et celebratione nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consultetur abstinentum, extra tamen casum necessitatis.»

Si fuerit *involuntaria*, vel provenerit ex causa *venialiter* culpabili, non impedit a communione, nec sub veniali, si nullam mentis perturbationem relinquit; quodsi autem mentis perturbationem relinquit, ortam ex delectatione habita vel ex turpi imaginatione concomitante, veniale esset ad sacram communionem accedere usquedum perdurat haec mentis evagatio, nisi homo conetur eam repellere faciens quantum in se est ut devote accedat. Cfr. Missale loc. cit. (n. 272. H. A. n. 56.)

QUAER. 2º *An COPULA CONIUGALIS, si praecessit, impedit a communione.*

Resp. Post decretum de frequenti communione dicendum est copulam habitam sine peccato, vel cum peccato veniali tantum, a communione non impedire, sicut supra dictum est de pollutione nullatenus vel nonnisi *venialiter* culpabili.

Notandum etiam est, debiti redditionem per diem post communionem, nullam esse culpam. Idem valet de eiusdem petitione. (n. 274. *in fine.* H. A. n. 57. *in fine.*)

QUAER. 3º *Quid Confessarius respondere debeat uxori sciscitanti num debitum reddere teneatur nocte ante communionem.*

Resp. Dist. Si uxor saepe communicare solet, v. g. singulis Dominicis, respondeat eam obligari ad reddendum, ne periculo exponatur peccandi contra justitiam vel charitatem.

Si raro communicat, v. g. tantum in praecipuis festis, Confessarius suadeat illi ut honestis precibus roget virum abstinere in honorem communionis. Quodsi vir non libenter consentiat, reddat debitum et communicet. (n. 274. H. A. n. 57.)

QUAER. 4º *An MACULA PATENS IN VULTU, v. g. cancer, variolae, impedit a communione.*

Resp. Per se talis macula non impedit susceptionem Eucharistiae; per accidens tamen, propter horrorem aliorum, s. communio, saltem si macula brevi auferenda speretur, consultius per breve tempus differatur vel privato modo recipiatur. Quae magis valent pro sacerdote, quare sacerdos infectus morbo horrorem afferente, vetatur celebrare *in publico*, propter scandalum et horrorem populi; *secreto* vero celebrare potest. (n. 275. H. A. n. 58.)

Punct. IV. Ieiunium eucharisticum.

Explanabimus: 1º obligationem iejunii; 2º laesionem eius; 3º casus exceptos.

1. Obligatio iejunii.

154. — Principia. I. *Qui a media nocte iejunium naturale, id est abstinentiam ab omni cibo et potu non servaverit, ex gravi praecepto Ecclesiae nequit Missam celebrare vel ad Eucharistiam admitti.* Ita regula generalis, quae constat ex can. 808. et 858. § 1. et ex antiquissima consuetudine Ecclesiae a SS. Patribus et Conciliis firmata.

Rationes autem congruentiae sunt: 1º propter reverentiam huic Sacramento debitam ut fideles assuescant discernere inter hunc sacrum cibum et cibos communes; 2º propter spiritualem significationem, ut indicetur fidelibus Christum debere esse *primum* et *primarium* eorum cibum; 3º propter devotionem, ut mens sit liberior et expeditior ad divina tractanda.

II. *Quicumque cibus vel potus, etiamsi in minima quantitate, et sub intentione medicinae, si tamen in modum cibi vel potus sumatur, sub gravi impedit susceptionem huius Sacramenti.* Ratio est, quia praedicta Ecclesiae consuetudo praeceptum ita interpretatur. Sic quoque statuit Missale *de defect. tit. 9. n. 1.*

Dictum est 1º *in minima etiam quantitate sub gravi impedit;* quia non est levitas materiae in proprio actu, in quem cadit praeceptum; non enim prohibetur cibus vel potus, sed communio post eibum vel potum; unde qui communicat post fractum iejunium, hoc praeceptum simpliciter violat, etiamsi iejunium in parva materia solverit.

Dictum est 2º *etiam in modum medicinae;* quia nihil refert quod id, quod sumitur, ad modum medicinae sumatur, cum hoc pertineat ad finem operantis, non ad actum, qui iejunium frangit, scilicet comedere aut bibere; medicina enim vere comeditur; ergo quacumque intentione fiat, frangitur iejunium.

III. *Ieiunium hoc servandum est a media nocte usque ad communionem suspectam.* Ita ex can. supra allegato.

Porro secundum can. 33. § 1. in computanda media nocte quoad hoc praeceptum aliquis pro libitu sequi potest aut tempus usuale, aut tempus locale sive verum sive medium, aut tempus legale sive regionale sive aliud extraordinarium. Ad horum explicationem cfr. tom. I. n. 169. qu. 4.

155. — Quaestiones. QUAER. 1º *Quomodo computandum sit tempus mediae noctis.*

Resp. Accipiendum est *physice*, non moraliter. Porro medium noctis designatur, quando primus pulsus horae sonat; index enim horologii, dum sonant alii pulsus, iam pertransit aliquod spatium sequentis horae, ut observanti patet. Propterea communicare nequit, qui cibum vel potum deglutit post primum pulsum mediae noctis. (n. 282.) Notandum tamen est, ad primum pulsum alicuius

horologii, qualemcumque sit, vix fieri posse ut non adsint alia bona horologia, quae aliquanto serius indicant medium noctem, et proin vix umquam non erit dubium utrum revera media nox transierit; atqui in dubio num quis post medium noctem aliquid comedenter vel biberit, adhuc possidet libertas, ut tradit S. Alf. loc. cit.; ergo qui in tali casu sumptum mox deglutit, non amittit ius communicandi. Hoc assertum clarescat ex modo dicendis.

QUAER. 2º *An in DUBIO NUM FREGERIT IEIUNIUM, possit quis communicare.*

Resp. Practice affirmative, sive dubitet *num aliquid comedenter vel biberit*, sive dubitet *num post medium noctem hoc fecerit*. Ratio est quia dubium est circa factum ieiunii fracti post medium noctem, fundans legem non communicandi; iamvero in dubio facti fundantis legem, instituto examine, possidet libertas communicandi. Cfr. tom. I. n. 87.

Res est controversa inter auctores. Distingui solet duplex dubitatio: 1º dubium *num quis aliquid comedenter vel biberit*; 2º dubium *num post medium noctem hoc fecerit*.

1º Si quis dubitet *num aliquid comedenter vel biberit*, negant multi; quia lex ieiune Eucharistiam sumendi est in possessione

Alli tamen communius et probabilius affirmant; quia lex ieiunii non prohibet cibum vel potum, sed prohibet communionem post cibum vel potum; exinde, ut exoriatur prohibito communicandi, probandum est factum ieiunii fracti: consequenter in dubio facti fundantis legem, instituto examine, possidet libertas communicandi. Ad haec, non agit contra reverentiam, qui utitur iure libertatis suae, maxime si ex devotione ad communionem accedit.

2º Si quis certo scit se comedisse aut bibisse, sed dubitat *an post medium noctem id fecerit*, negant Lugo. Sanch. Salm. Bened. XIV, et alii; quia tunc videtur ipsi incumbere onus probandi se ante medium noctem id fecisse. Sed, pace tantorum virorum, S. Alf. sustinet rationem supra adductam etiam in hoc casu valere; si namque, ut quis communicare nequeat probandum est factum quod aliquid sumpserit, eadem ratione probari oportet factum quod sumpserit post medium noctem (n. 282. Lib. I. n. 38. 39.)

Notes ex dictis sequi hanc regulam pro praxi, fas esse inter plura bona horologia illud sequi ad communionem, quod ultimo dedit signum mediae noctis, dummodo de huius errore non constet; quia singula bona horologia gignunt coniecturam probabilem. Hinc, quemadmodum unusquisque potest bonum horologium suum sequi, sic potest et aliud bonum quolibet. (n. 282.)

QUAER. 3º *An ii, qui statim post medium noctem communionem recipient, ieiunium servare teneantur.*

Resp. Negat., lex enim non praescribit iejunium nisi a media nocte. Nihilominus omnino conveniens est ut per tres vel quatuor horas ante communionem ab omni cibo et potu abstineant. Ita et mens Ecclesiae, prout patet ex eo quod S. Sedes ratione conditionum bellicarum trinam Missam et s. Communionem fidelibus horis pomeridianis in Vigilia Natalis Domini permittens, voluit ut sacerdos et fideles communicantes per quatuor horas iejunium observarent.¹⁾

QUAER. 4º *An liceat edere et bibere statim post communionem.*

Resp. Olim praeceptum erat iejunium post communionem usque Sextam; sed hoc praeceptum iam dudum abrogatum est. Caeterum oportet regulariter post communionem aliquo tempore a communi cibo et potu abstinere, propter

¹⁾ Cfr. A. A. S. 1940. p. 529.

Sacramenti reverentiam, saltem per horae quadrantem, nisi aliqua rationabilis causa excuset; aliter talis comestio a culpa veniali immunis non erit. (n. 283. H. A. n. 45.)

QUAER. 5º *An liceat statim post communionem exspuere.*

Resp. Id quidem culpa vacat, modo nullum Hostiae fragmentum remanserit in ore: congruum tamen est per aliquod temporis intervallum ab exspuendo abstinere. (n. 283.)

2. *Laesio ieiunii.*

156. — **Principium.** *Ut ieiunium naturale laedatur, tres conditiones requiruntur:*

1º *ut id, quod sumitur, habeat rationem cibi vel potus.* Porro aliquid rationem cibi vel potus habet, quando est alterabile in stomacho, ita ut aliquomodo saltem in substantiam hominis converti possit.

Quaenam autem res indigestibiles habendae sint, e communi potius hominum aestimatione quam ex chimicorum doctrina deducendum est. Communiter indigestibilia censentur: capilli, metallum, lapilli, vitrum, sericum aut lana, ossicula fructuum omnino depurata. Contra digestibilia sunt: charta, palea, cera, linum, pulvis medicinalis et similia. De quibusdam dubitatur, v. g. de unguibus, de ligno. (n. 278, 281.)¹⁾ Carbonem vegetabilem aliqui non permittunt quia esset aliquatenus digestibilis vel saltem ut talis habetur.²⁾ Sed si purus est sine aliis rei admixtione, ut obtinet in pulvere — non in tabletis — *norit*, juxta artem chymicam non est digestibilis; neque de aestimatione communi contraria constat.³⁾ Caeterum, aestimatio communis praevalet arti chymicae, si res communiter *indigestibilis* habetur; non vero videtur talis aestimatio urgeri posse, si contra chymicae experimenta materiam aliquam ut *digestibilem* proclamat.⁴⁾ Hinc usus talis carbonis puri permitti potest ad extingendum spasmum qui ex humore vel vapore indigesto oritur.

2º *ut ab extrinseco proveniat et in stomachum traiiciatur;* quod enim non ab extra sumitur, vel quod solum in os immittitur quin deglutiatur, non dicitur manducari.

3º *ut sumatur in modum comestionis aut potationis,* non autem in modum salivae aut aspirationis. In modum autem salivae aliquid sumitur, quando cum saliva inseparabiliter permixtum est et cum illa praeter intentionem (etsi advertenter) deglutiatur; hoc autem fieri non potest nisi sit res minimae quantitatis. In modum respirationis sumitur, quod respirando cum aere intrat in os et praeter intentionem in stomachum traiicitur. Si autem aliquid quoquo modo cum intentione istud deglutiendi sumitur, semper habet rationem comestionis vel potationis.

157. — **Resolutiones.** 1º **QUOAD SECUNDAM CONDITIONEM.** Non solvit ieiunium, qui deglutit, etiam de industria, sanguinem *intus* defluentem e capite vel

¹⁾ Cfr. Lehmkuhl. II. n. 219; Noldin. III. n. 148.

²⁾ Ita Merkelsbach. III. n. 281; Gury-Iorio II. n. 333.

³⁾ Ita v. d. Loo in *N. K. S.* 1934. p. 54; Schmitt in *Linzer Quartalschr.* 1938. p. 116. Iste non distinguunt inter pulverem et tabletas; sed in tabletis pulvis materia digestibili conglutinatur.

⁴⁾ Ita Cappello. *de Sacr.* I. n. 503.

e gingivis aut saniem ex pustula oris manantem; quia ore non sumuntur ab extrinseco. Secus vero si quis sugeret sanguinem ex digito, vel lacrimas ex oculis manantes (n. 279.)

Similiter *ieiunium* non solvit qui pelliculam labiorum vel paulum sanguinis e labiis manantis deglutit; quia labia adhuc ad oris interiora pertinent quippe quorum extrema et recurvatio sint.

Solvit vero *ieiunium* is, qui ante somnum mittit saccharum in os, ad emolliendam raucedinem, si totum non fuit ante medium noctem liquefactum; quia est continuata comestio. (n. 270.)

Manet *ieiunus* qui clysterio nutritur, ut hodie nonnunquam contingit aegrotis. Ita Gury-Ferreres II. p. 243. Prümmer III. p. 146.

2º QUAOD TERTIAM CONDITIONEM. Si quis pulverem, pluviam, nivem, muscam casu deglutiat, non solvit *ieiunium*; quia haec deglutitio non habet rationem comestionis, sed aspirationis. Secus vero, si haec ex proposito deglutiret. (n. 280.)

Unam alteramve guttulam aquae *praeter intentionem* deglutire, non solvit *ieiunium*, uti statuit Missale *de defect. tit. 9. n. 3.* hisce verbis: «Si lavando os deglutiatur stilla aquae *praeter intentionem*, non impedit communionem, cum non transglutiatur per modum potus, sed per modum salivae.» Contra ergo, si quis *ex proposito* guttam deglutiat; quia tunc eam deglutit per modum potus, non ut salivam; proinde solvit *ieiunium*. (n. 279. H. A. n. 38.)

Non solvit *ieiunium* pulvis tabaci sumptus per nares, si quid descendat in guttur, et de more traiiciatur; quia ore non sumitur ad modum comestionis, et assimilatur reliquiis cibi, quae per modum salivae deglutiuntur. (n. 280. H. A. n. 38.)

Neque fumus tabaci ore haustus frangit *ieiunium*, etiamsi voluntarie deglutiatur; quia fumus non est cibus nec potus, neque sumitur in modum comestionis aut potationis, sed aspirationis. (n. 280.)

Non frangit *ieiunium* tabacum aut aromata dentibus attrita, dummodo succus exspuat; imo, etiamsi *praeter intentionem* deglutiatur modicum succi salivae inseparabiliter admixti, aut minima particula fortuito immixta salivae; quia haec non in modum cibi, sed in modum salivae traiiciuntur. Secus vero, si quis integrum granum deglutiret. Omnes autem convenient huiusmodi masticationem esse indecentem ante communionem; unde non est immunis a culpa veniali, nisi aliqua causa subsit. (n. 280. H. A. n. 40.)

158. — Quaestiones. QUAER. 1º *An traiectio reliquiarum cibi, quae inter dentes manserunt ex praecedenti die, solvat ieiunium.*

Resp. Dist. Traiectio *involuntaria* seu *casu* non solvit *ieiunium*, quia non est comestio, sed deglutitio salivae, quacum transeunt. Constat ex Missali *de defect. tit. 9. n. 3.*

De traiectione *voluntaria* seu ex industria *controversia* est et datur duplex sententia probabilis.

Prima sententia probabilis negat; quia illae reliquiae neque eo die sumptae sunt ab extrinseco; neque deglutiuntur in modum cibi, sed in modum salivae; ac denique earum traiectio non est nova comestio, sed comestionis hesternae consummatio. Favet Missale *de defect. tit. 9. n. 3.* ubi indistincte dicitur: «Si reliquiae cibi manentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.»

Secunda sententia probabilior affirmat; quia voluntaria reliquiarum traiectio videtur esse neva comestio, cum priorem non consequatur, sed nova actione voluntaria fiat; neque videtur fieri in modum salivae; sensus igitur Rubr. Miss. restringendus videtur ad casum quo hoc praeter intentionem fit.

Hinc, quamvis in hoc negotio non sit scrupulose agendum, consulendum tamen est ut reliquiae a dentibus avulsae, quae super lingua sentiuntur, exspuantur; non opus est autem curam adhibere ad illas e dentibus extrahendas aut iam extractas intra oris angulos quaerendas, ut exspuantur; aliter enim hoc praeceptum esset nimis scrupulis et perplexitatibus obnoxium, quod certe praesumitur Ecclesia noluisse. Ita Lugo. Bened. XIV, quorum sententiam S. Alf. libenter sequitur. (n. 279. H. A. n. 36.)

QUAER. 2º *An solvatur ieunium, si una cum susceptione Eucharistiae aut immediate post eam sumatur paululum vini vel aqua, quo facilius particula deglutiatur.*

Resp. Negat.; praeceptum enim ieunii est ut ante Eucharistiae sumptionem nihil sumatur; atqui quamvis vinum vel aqua prius traiiciatur quam Hostia, tota tamen sumptio est moraliter una; ergo non violat ieunium. *Ita communiter, et certum est.*

Idecirco, si in Missa contingat particulam Hostiae, quae cum Sanguine fuit mixta, calici adhaerere post Sanguinis sumptionem, potest sacerdos eam cum ablutione sumere. Pariter licet dare aegroto Hostiam in vino vel aqua, si ob oris siccitatem nequeat aliter eam deglutire. Praeterea, licite datur cuilibet communicanti vinum vel aqua, si contingat fragmentum Hostiae ita palato adhaerere ut illam traiicere non possit. (n. 288. H. A. n. 54.)

QUAER. 3º *An laedat ieunium, qui ope tubuli aquam in stomachum immittit et iterum eiicit (LOTIO STOMACHI).*

Resp. Disputatur. Aliqui affirmant, quia secus talis homo etiam maneret ieunus si loco aquae lac immitteret ad nutriendum. Ita Gasparri *Dé Euch.* n. 431.

Communiter tamen negant, quia, licet aliqua pars aquae maneat in stomacho, nihil tamen sumitur per modum cibi vel potus. Ita Marc. II. n. 1558. Noldin III. n. 149. Génicot II. n. 200. *Il Monitore Eccles.* vol. 9. p. 2. p. 182. *Canon. Contemp.* XX. p. 141-144. *Ned. Kath. St.* 1902. p. 279.

Magis dubium est an etiam ieunus maneat si tubulus ille exterius oleo unctus sit. Probabiliter tamen ieunium non laeditur. Cfr. auctores citatos.

QUAER. 4º *An possit quis communicare, si, cibo aut potu ante medium noctem sumpto, indigestionem et insomniam passus est.*

Resp. Affirm., per se; quia nullo iure vetatur; constat etiam ex Missali *de defect. tit.* 9. n. 2. Per accidens vero, si sit periculum vomitus, deliquii, vel similis irreverentiae, non licet communicare. Praeterea tradit Missale: « Ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consultur aliquando abstinendum ». Hoc tamen intelligendum, nisi homo conetur perturbationem illam sive animi torporem repellere, faciendo quod in se est ut devote accedit, maxime si insomnia et indigestio ex causa naturali provenerit, non ex intemperantia, prout diximus de eo, qui pollutionem passus est. (n. 289.)

3. Casus excepti ab obligatione ieunii.

Casus excepti ab obligatione ieunii causam exceptionis habent sive a parte hominis, sive a parte Sacramenti. A parte hominis numerantur tres: periculum mortis, infirmitas, periculum scandali; a parte Sacramenti duo: necessitas perficiendi sacrificii, et necessitas vitandae irreverentiae.

159. — I. A parte hominis: 1º VIATICUM. *Excusantur a lege iejunii naturalis constituti in periculo mortis, in quo oportet Viaticum recipere.* Ita ex Conc. Const. sess. 13; Rit. Rom. Tit. 4. cap. 4. n. 4; can. 858. § 1. — Haec causa locum habet in periculo mortis, ex quacunque causa proveniat, sive ex causa interna sive ex causa externa. Adducti in periculum mortis propter causam *externam*, puta milites ante proelium, capite damnati, a lege iejunii eximuntur, si *sine gravi incommodo* nequeunt iejuni Viaticum recipere,¹⁾ secus iejunium servare tenentur; infirmi autem in periculo mortis constituti eximuntur si nequeant *commodo* illud iejuni recipere, etiamsi sine gravi incommodo possint.

In eadem aegritudine licet saepius, etiam quotidie, Viaticum ministrare infirmo non ieuno non solum si novum recurrat periculum, verum etiam dum idem perseverat; quia non sola obligatio Viatici causa est quod Ecclesia in eo articulo eximat a iejunio, sed etiam necessitas auxilii et solatii huius Sacramenti, quae tempore mortis maxima est, puta ob tentationes. Confirmatur can. 864. § 3 (n. 284. 285. Lib. 3. n. 379.)

In diiudicando utrum infirmus qui periculose aegrotat, commode seu sine ullo incommodo possit iejunus Viaticum accipere an non, sine scrupulo agendum est, quia raro sine incommodo iejuni manere possunt. (n. 285. dub. 3. in fine. H. A. n. 49.)

In mortis periculo sacerdos etiam potest celebrare non iejunus si debet celebrare ad Viaticum ministrandum *sibimetipsi*; quia in eadem persona concurrunt praeceptum ecclesiasticum et divinum, quod ultimum praevalet. — An etiam liceat ad ministrandum illud *alteri*, controvertitur. Aliqui probabiliter affirmant, communiter vero et probabilius negatur, excepto casu quo moribundus non possit Sacramento Poenitentiae vel Extremae Unctionis muniri, in quo casu Eucharistia potest esse Sacramentum necessitatis ut ille ex attrito fiat contritus. Sed casus non est practicus, siquidem Ecclesia providit ut Eucharistia semper servetur pro infirmis. (n. 286.)

160. — 2º IN CASU INFIRMITATIS DIUTURNÆ. Infirmi, qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti Confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumperint. Ita can. 858. § 2. confirmingo et ampliando facultatem iam antea per decr. S. C. C. 7 Dec. 1906 concessam.

Dicitur: a) *infirmi*, qui a mense *decumbunt*. Nomine *infirmorum* decubentium intelliguntur etiam qui senio aut debilitate laborantes, vel quomodounque mala utentes valetudine, decubentes sunt. — Nomine *decubentium* autem comprehenduntur etiam « qui, quamvis gravi morbo correpti et naturale iejunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo per aliquot horas diei surgere queunt ». Ita Decretum S. C. C. 6 Mart. 1907 a Papa approbatum. Ii vero qui non sunt decubentes, sed tamen iejuni ma-

¹⁾ Cfr. S. C. de Prop. Fide 21 Iulii 1841.

nere non possunt, privilegio non fruuntur et dispensatione indigent, quae hodie facilius obtinetur. Infirmi decumbentes possunt uti privilegio, etiam si ieuniū manere possint, etiam sine *gravi incommodo*.¹⁾ — Requiritur autem, ut iam *a mense* decumbant, nec licet iam ante mensem elapsam communionem non ieunis permettere si agatur de iis qui ultra mensem decubuntur praevidentur. Mensis computandus videtur ad normam can. 34. § 3 prout est in calendario. — *Certa spes ut cito convalescant* intelligitur moralis certitudo convalescentiae intra paucos dies secutuae.

b) de prudenti confessarii consilio; quod igitur intercedat necesse est. Confessarius autem etiam extra confessionem consilium dare potest.²⁾

c) SS. Eucharistiam sumere possunt; non autem sacerdoti licet celebrare Missam.

d) semel aut bis in hebdomada; hoc in posterum omnibus valet.

e) aliquam medicinam vel aliquid per modum potus; quare medicinam sumere licet, etsi non sumatur per modum potus. S. Offic. autem 7 Sept. 1897 declaravit «sub formula per modum potus, mentem quidem esse quod liceat sumere iusculum, coffeam, aliumve cibum liquidum, cui sit permixta substantia aliqua, ex. gr. leves farinae pastilli aut tenuissima frustula comminuti panis, ovum dilutum etc., dummodo quod inde coalescit, non amittat naturam cibi liquidi».

Nota. Facultates S. Congr. de Prop. Fide Episcopis, Vicariis et Praefectis Apostolicis potestatem dant «concedendi infirmis, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, (etiam ante finem mensis) ut s. comm. sumere possint bis vel ter in hebdomada, et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam cotidie, non servato ieunio: h. e. etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint»³⁾. — Intra facultates quae Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis conceduntur habetur n. 24 facultas concedendi infirmis decumbentibus ut supra etiam ante finem mensis a quo decumbunt ut semel in hebdomada s. communionem sumere possint non servato ieunio ut supra; dein et facultas concedendi infirmis non decumbentibus, qui tamen tali morbo laborant, quo, iudicio medici, ieunium sine discriminē servare nequeant, ut communionem semel in hebdomada percipere valeant non servato ieunio ut supra. (cfr. Vermeersch. *Comm. de Formulis fac. n. 57; Ius Pontif. 1924. p. 140.*)

Imo hodie non raro Ordinariis conceditur facultas dispensandi in ieunio eucharistico cum omnibus generatim fidelibus in certa aetate constitutis et adversa valetudine laborantibus, tum etiam cum infirmis in nosocomio degentibus et cum mulieribus praegnantibus.

161. — 3º AD VITANDUM SCANDALUM VEL INFAMIAM, quae aliter vitari nequeant. Scandalum et infamia tunc adest, quando datur occasio detrahendi vel temere iudicandi; non autem, quando datur solum occasio admirationis. Eveniret v. g. si sacerdos, dum publice celebrat, ad altare recordetur se ieunum non esse; vix enim tunc poterit a Missa desistere sine scandalo; nisi sit notae aut saltem existimatae probitatis. (n. 287. 257.)

162. — II. A parte Saecamenti: 1º AD PERFICIENDUM SIVE CONSUMMANDUM SACRIFICIUM: quod multimodis evenire potest; nimirum quando

¹⁾ Cfr. *N. K. St.* 1918. p. 370.

²⁾ Cfr. *N. K. St.* 1907. p. 55-56.

³⁾ Formula Maior 1 Ian. 1941 n. 18; Formula Minor 1 Ian. 1941 n. 17.

Sacerdos: *a)* loco vini aquam calici infudit, idque advertit cum illam sumpsit; tunc enim debet iterum consecrare et sumere vel utramque speciem, vel, si celebret publice, vinum saltem. Recole dicta *n.* 114. — *b)* Quando Sacrificium inchoavit, et post Consecrationem aegritudine correptus non potest illud perficere; tunc enim, si non adsit sacerdos ieiunus qui possit perficere Sacrificium, potest et debet non ieiunus illud facere. — *c)* Si post Consecrationem recordetur se ieiunum non esse; tunc debet Missam complere. — *d)* Si necesse sit reliquias huius Sacramenti sumere post sumptam calicis ablutionem; quia sumptio reliquiarum est veluti complementum Sacrificii et convivii ibi peracti.¹⁾ Cfr. infra *n.* 174.

2º AD VITANDAM GRAVEM ALIQUAM IRREVERENTIAM CONTRA SACRAMENTUM, puta, si periculum sit ne comburatur, aut ne deveniat in manus haereticorum vel infidelium, a quibus iniuriouse tractabitur. Tunc si desit sacerdos, potest laicus ipse sibi Eucharistiam sumere: potest quoque sacerdos eam praebere laicis non ieiunis. (*n.* 287. H. A. *n.* 52.)

163. — Notanda. 1º DISPENSATIO.²⁾ Ii qui ieiunium Eucharisticum servare nequeunt a S. Sede obtinere possunt facultatem sumendi aliquid per modum potus ante Communionem³⁾; quam dispensationem saecularibus concedit S. C. de disc. Sacr. (can. 249. § 1), religiosis S. C. de Relig.⁴⁾

Ad dispensandum in lege ieiunii Eucharistici *cum sacerdotibus Missam celebrantibus*, unice competens est Congr. S. Off. (can. 247. § 5.) Quae S. Congr. in litt. ad locorum Ordinarios, datis 22 Martii 1923⁵⁾, decrevit in certis casibus et sub determinatis conditionibus ieiunii legem per opportunas dispensationes aliqua ex parte mitigare propter bonum commune animarum, in quantum scilicet bonum spirituale fidelium id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem.

Hinc, quoties sacerdotes, ut totus populus Missae adstare possit, Missam iterare aut etiam tardiore hora ad sacrum Altare accedere necesse habeant, et sine gravi damno ieiunii eucharistici legem, vel infiriae valetudinis causa, vel propter nimium sacri ministerii laborem, aliasve rationabiles causas, ad rigorem servare nequeant, locorum Ordinarii, omnibus rerum adjunctis diligenter expositis, ad S. Off. recurrere poterunt, quod pro diversitate casuum opportune providebit, sive cum singulis dispensando, sive, quando vera et probata necessitas id omnino suadeat, habituales quoque facultates ipsis Ordinariis tribuendo. Pro casibus urgentioribus autem, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, iam Ordinariis locorum hae facultates eodem decreto a S. Officio concessae sunt, per se ipsos, graviter onerata eorum conscientia, exerceendas hisce sub conditionibus:

¹⁾ Pari modo non videtur improbabile sacerdotem posse purificare pyxidem sibi necessariam si ex inadvertentia fam sumpserit calicis purificationem. Ita cum Vermeersch. III. *n.* 362.

²⁾ Quoad historiam huiusmodi dispensationum inde a saec. XIII cfr. Villen in *Acta Congr. iuridici internat.* anno 1934 Romae habiti IV. p. 343-356.

³⁾ Formula petendi a S. Congr. dispensationem a ieiunio sacramentali: « Beatissime Pater, Stephanus N., dioecesis N., quamvis non decubat propter infirmitatem, attamen tanta stomachi debilitate laborat, ut ei moraliter impossibile sit observare ieiunium naturale ante S. Communionem praescriptum. Ideo ad Sanctitatis vestrae pedes pro voluntate suppliciter petit facultatem sumendi aliquid per modum potus, ante quam ad S. Communionem recipiendam accedat. » — Recursus flat per Ordinarium.

⁴⁾ Ita responsum coetus Card. editum 7. Dec. 1922. Cfr. A. A. S. 1923. p. 39.

⁵⁾ Cfr. A. A. S. 1923. p. 151.

1º ut dispensatio non concedatur nisi quum spirituale bonum fidelium id exigat, non vero ad privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem; 2º ut non nisi aliquid per modum potus¹⁾, exclusis inebriantibus, sumere permittatur; 3º ut scandalum efficaciter removeatur; 4º ut quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat. — Sacerdos dispensatus aieiunio ante secundam Missam, sumere potest ablutionem in prima. Ita S. Off. 16 Nov. 1923.²⁾

Imo, postea adhuc largior praxis a S. Officio inducta est. In Instructione enim 1 Iulii 1931 ad Ordinarios data³⁾, hisce communicatur dispensationem concedi posse non tantum per modum potus ad vires physicas reficiendas et sustinendas, verum etiam *per modum verae medicinae* ad morborum effectibus occurrentum. Dispensatio *per modum potus* datur ob publicum bonum spirituale fidelium ideoque ab iis tantum sacerdotibus impetrari potest, qui animarum curae sunt addicti, atque conceditur tantum pro diebus festivis vel ferialibus, in quibus Missa hora tardiore (post horam decimam) ratione ministerii est celebranda: dispensatio *per modum medicinae* in commodum etiam privatorum est inducta ideoque ab omnibus sacerdotibus pro omnibus diebus impetrari potest. Requiritur causa gravis in singulis casibus computanda. Hinc in libello supplici ab Episcopo loci, et, si agatur de religioso, etiam a Superiore generali subscribendo, pro re nata exprimi debet oratoris aetas, officium, valetudinis status per medici testimonium, specificato potu vel medicina sumenda, hora Missae; et si celebret in ecclesiis diversis, earum ad invicem distantia, praesertim si iter pedibus sit agendum; tandem an ab alio sacerdote firmioris valetudinis possit substitui.

Ultimis tamen temporibus, post multas atque largissimas dispensationes tempore belli sive pro sacerdotibus celebrantibus sive pro simplicibus fidelibus concessas, in concedendis novis *generalibus* dispensationibus semper clarius perspicitur tendentia introducendi novam praxin qua obligatio observandi ieiunii eucharistici teneat non iam modo absoluto omnes aequaliter inde a media nocte sed potius modo relativo per *determinatum numerum horarum ante uniuscuiusque inceptionem* S. Missae vel receptionem S. Communionis⁴⁾.

2º SPECIALIS EXCEPTIO a lege ieiunii habetur in collatione baptismi adulorum: *Sal a catechumenis* in collatione baptismi praegustatum non impedit quominus ad sacram communionem admitti possint, imo vero debeant. S. C. de Prop. Fide. 13 Febr. 1806. (*Coll. n. 616.*)

164. — Quaestiones. QUAER. 1º *An liceat infirmo non decumbenti, qui ieiunium servare nequeat, non ieiuno communionem accipere in Paschate.*

Resp. Plures hodie affirmant, saltem si non possit iis media nocte communio conferri, id quod secundum can. 867. § 4 certo licet. Rationes autem sunt: 1º quia Rituale eos tantum infirmos non ieiunos a communione prohibet, qui ex *devotione* communicant⁵⁾; 2º quia sunt in necessitate ab Ecclesia admissa, scilicet in necessitate implendi *praeceptum communionis annuae*, quod potius esse videtur quam *praeceptum ieiunii*. Hanc sententiam probabilem esse censeo.

QUAER. 2º *An liceat sacerdoti, qui ex inadvertentia aliquid cibi vel potus sumpsit, celebrare, ut populus Missam audire possit die festo.*

Resp. Secluso populi scandalo, negat.; quia ob reverentiam erga SS. Sacramentum rigidius est *praeceptum ieiunii* quam *praeceptum audiendae Missae*; patetque ex praxi Ecclesiae, quae multo facilius admittit causas excusantes a Missa audienda, quam a ieiunio. *Interveniente autem populi scandalo, licet;* porro,

¹⁾ Quid intelligendum sit per: «aliquid per modum potus» cfr. supra n. 160.

²⁾ A. A. S. 1923. p. 585.

³⁾ Non est publicata in A. A. S. sed v. g. in *Period. de re mor.* 1932. p. 105; N. K. S. 1933. p. 211.

⁴⁾ Cfr. N. R. Th. 1948. p. 150-161 cum dispensationibus in hac materia pro Gallia concessis propter distantiam ab ecclesia, labores operosos, horam tardiorum etc. *Ami du Clergé* 1946-147. p. 50-51.

⁵⁾ Cfr. Rit. Rom. tit. 4. c. 4. n. 4.

tale scandalum adesse potest, si praevideatur gravis offensio populi, gravis suspicio vel sinistra dicteria contra sacerdotem. Item licet ob periculum ne complures, quamvis commode possent ac deberent alio se conferre ad Missam audiendam, ex inopinato illo casu ansam sumant cum peccato gravi Missam negligendi. *Sola* populi admiratio non est causa sufficiens.¹⁾ Ita Concil. Nemaus, apud Bened. XIV Constit. *Declarasti nobis*. 16 Mart. 1746. — S. Alfons. n. 287. cum auct. ibi citatis. Lehmkuhl vol. 2. n. 223.

Imo est qui permittat celebrari neosacerdoti primam Missam celebraturo si inadvertenter aliquid sumpserit et secus gravissima incommoda subire debeat.²⁾

Articulus IV.

Frequentia Communionis.

165. — Principia generalia. I. *Nemini per se licet PLUS QUAM SEMEL IN DIE sanctissimam Eucharistiam recipere.* Ita ex can. 857, confirmante perpetuam Ecclesiae consuetudinem.

Dictum autem est *per se*; nam *per accidens* aliquando licet, scil.: 1º in mortis periculum adductis; his enim, etiamsi eadem die s. communione refecti fuerint, licet denuo S. Eucharistiam recipere; imo valde hoc suadetur (can. 857. 858. § 1. 864. § 2. Cfr. supra n. 140); 2º ad evitandam irreverentiam in Sacramentum (can. 857. col. 858. § 1. Cfr. supra n. 162); 3º ad perficiendum sacrificium, si sacerdos qui nondum celebavit non adest; 4º si sacerdos facultatem vel obligationem habet binandi; 5º si sacerdos celebret die Natalis Domini et die Comm. Omn. Fid. Def.

II. *Excitandi sunt fideles ut FREQUENTER, ETIAM QUOTIDIE, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Misae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent.* (can. 863.) Quo canone inculcatur exhortatio Conc. Trid. sess. 22. c. 6 et plane confirmatur et commendatur praxis, decreto S. C. Concilii 20 Dec. 1905 *Sacra Tridentina Synodus* inducta.

Ortis enim controversiis circa dispositiones requirendas, ut frequens et quotidiana communio fidelibus permitteretur, S. P. Pius X quaestionem diremit, accessum ad S. Synaxim omnibus quam latissime aperiendo, simulque disputationibus silentium imponendo. Normae illo decreto traditae, vi canonis mox relati, etiam in posterum vim suam retinent³⁾. Quas propterea in iis quae sequuntur, exponamus oportet.

166. — Dispositiones requisitae ad frequentem et quotidianam Communionem. I. *Nemo christifidetur, cuiuscumque sit ordinis aut conditionis, impediendus est a frequenti et quotidiana communione, modo sit in STATU GRATIAE ET CUM RECTA PIAQUE MENTE ad S. Mensam accedat.* (Decr. cit. n. 1.) Nemo igitur a quotidiana communione excluditur, nec mercatores

¹⁾ Cfr. resp. C. S. Off. 2 Dec. 1874 (*Coll. Prop. Fide.* II. n. 1425.)

²⁾ Ita Génicot-Salsmans, II. n. 202 bis.

³⁾ Praxim frequentis et quotidiane Communionis denuo laudat atque promovendam declarat Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (*A. A. S.* 1947 p. 564-565.)

nec coniugati nec pueri, ita ut his, si ad sacram mensam semel admissi sunt, frequens communio eodem modo ac adultis permittenda et commendanda sit. (S. C. C. 15 Sept. 1906. *Mon. Eccl. t. 18. p. 346.*) — Neque specialis devotio vel peculiaris quaedam sanctitas ad quotidie communionem sumendam requiritur; sufficit eadem illa quae et ad communionem minus frequentem requiritur, ut sc. praeter statum gratiae, fidelis rectam habeat piamente mentem.

II. STATUS AUTEM GRATIAE *non includit immunitatem a peccato veniali*; unde omnino consequenter decretum statuit (*n. 3*): «*Etsi quam maxime expedit ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilo minus, ut culpis mortalibus vacent cum proposito, se numquam in posterum peccatueros*» (*gravi nempe peccato*).

Caeterum, addit decretum, (*hoc*) «*sincero animi proposito fieri non potest, quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.*» — Si autem casus occurreret, quod aliquis, non obstante quotidiana communione, affectum ad venialia plene deliberata retineret, ex hoc quidem praesumptio oriretur contra eius rectam piamente mentem, ita ut confessario hac de re serio inquirendum esset; sed non ex hoc certo concludi posse videtur piam mentem deesse; verbis enim allatis decretum non tam signum rectae mentis, quam sequelam ordinariam indicasse dixeris. (Cfr. *N. K. St. 1910. p. 262. 381.*)

III. RECTA AUTEM MENS IN EO EST *ut, qui ad sacram Mensam accedat, non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satifacere velit, ei arctius caritate coniungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.* (*n. 2.*) Per haec autem verba decretum tantum exprimit intentiones principaliores, sed alias non excludit. (Bastien. *de freq. comm. c. 2. n. 135.*)

IV. *Ut frequens et quotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut CONFESSARI CONSILIUm INTERCEDAT.* (*n. 5.*) Confessarii igitur requiritur consilium, *non licentia*, nec stricta obligatione requiritur, sed tantum necessitate maioris prudentiae.

Unde confessarii est fidelibus non tam communionem concedere, quam iisdem in hoc pio exercitio bene exsequendo consilium dare atque pro viribus invigilare, ne quis sine recta piaque intentione ad sacram mensam accedat. Ubi autem conditiones adsunt, confessario haudquaquam licet communionem frequentem aut quotidianam cuiquam denegare. Si autem poenitens ob humanas rationes frequenter vel quotidie saeram communionem recipere velit idque clare pateat, confessarii est eum corrigere et a communione frequenti arcere. (Bastien. *o. c. c. 5. n. 153-156.*)

V. *Curandum est, ut sedula ad sacram communionem PRAEPARATIO antecedat et CONGRUA GRATIARUM ACTIO inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditiones ac officia.* (*n. 4.*) Hoc exigit reverentia Sacramenti eiusque intensior participatio: sacramenta enim Novae Legis, etsi effectum suum ex opere

operato sortiantur, maiorem tamen producunt effectum, quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur. (cfr. etiam supra n. 103. 2º). Deinde connaturale est in specie huic sacramento unionis cum Christo, in quo non solum habitualis charitas sed etiam *actualis* illius fervor augetur, ut recipientes intimo ac suavissimo colloquio actibus singulorum propriis sive gratiarum actione sive petitione sive vitae oblatione praesentissimae Jesu Christi actioni obsecundent et hoc modo huius sacramenti fructus ad vitam quotidiana applicent.¹⁾

Unde perperam agunt, qui præparationem et gratiarum actionem nihil curant, ad id unice attendentes, in eoque solum perfectionem ponentes ut quam frequentissime s. communionem accipiant; vel qui, dum facile aliter possint, pauca tantum minuta iis impendunt et post Missam finitam statim abeunt.²⁾ Sane opus non est, ut iusto longiores sint; spectandæ sunt uniuscuiusque vires, conditiones et officia, ut decretum habet; et ob causam rationabilem tam præparatione quam gratiarum actio absque scrupulo contrahi possunt; sed confessarius curet ne sine ratione haec fiant et poenitentes cum negligentia ad S. Synaxim accedere incipient.

VI. Communio frequens et quotidiana præsertim in RELIGIOSIS INSTITUTIS cuiusvis generis promovenda est; quam maxime quoque in CLERICORUM SEMINARIIS, quorum alumni altaris inhiant servitio, et in aliis christianis omne genus ephebeis. (n. 7.) Cavendum tamen, a) ne Superiores præsertim in particulari, incaute impellant ad frequentem s. communionis susceptionem, ne hypocrisim foveant et sacrilegiis ansam dent; b) ne pueri et puellæ ex mera assuetudine, distracti et dissipati, accedant; attenta enim levitate puerilis aetatis periculum, est, ne ipsis sacer cibus ex quotidiano usu vilescat. Cfr. Noldin. n. 160. 5.

VII. PRO INSTITUTIS AUTEM RELIGIOSIS Codex has regulas statuit: 1º Superiores suos inter subditos frequentem, etiam quotidianam sanctissimi Corporis Christi receptionem promoveant; subditis autem *liberum est* frequenter, imo quotidie sacram Synaxim suscipere, si sint rite dispositi. (can. 595. § 2.) 2º Nihilominus, si post ultimam sacramentalem confessionem religiosus aut religiosa communitati *gravi scandalo* fuerit, aut *gravem et externam culpam* patraverit, potest Superior, donec ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit, ei communionem prohibere. (ibid. § 3.) 3º Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis, constitutionibus aut calendariis communiones aliquibus diebus affixaæ aut iussæ reperiantur, hæ normæ vim dumtaxat directivam, non præceptivam habent. (ibid. § 4.)

Ex can. all. sequitur religiosis *libere patere accessum ad quotidianam communionem*, ita ut nullus Superioris consensus requiratur nec Superior hoc interdicere possit nisi in casu sub 2º relato.

¹⁾ Cfr. Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (A. A. S. 1947. p. 566-568. Boelaars) in *N. K. St.* 1948. p. 107-112; 1947. p. 209-221.

²⁾ Pius XII in Encycl. *Mediator Dei* l. c. ex recto veritatis tramite secedere dicit qui docent « post Sacrum absolutum haud esse eiusmodi gratiarum actionem producendam ».

Normae, regulae aut constitutiones quibus communiones aliquibus diebus affixaes aut iussae habentur vim tantum directivam habent; ideoque nec obligantur his diebus communiare nec liber accessus ad communionem hisce diebus limitatur, sed suadendum ut his saltem diebus communionem recipient; dein, ut addit decr. *S. Trid. Syn.*, sub 7, numerus praescriptus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate.

167. — Quaestiones. QUAER. 1º *An utiliter confessarius poenitenti suadere possit ut uno altero die in hebdomada a communione abstineat.*

Resp. Hoc ab indole poenitentis eiusque statu spirituali maxime dependet. Si confessarius prudenter iudicat futurum esse ut tali abstinencia desiderium poenitentis augeatur et maiori ardore sese praeparet, potest illud ad tempus saltem *consulere* vel proponere. Plures autem putant, frequentationem non interruptam ordinarie maiorem utilitatem afferre.

QUAER. 2º *An confessarius vel Superior possit idem generatim suadere, imo praecipere, v. g. in ephebeis, AD PRAECAVENDA SACRILEGIA.*

Resp. *Praeceptum* tale legitime dari nequit, quum unusquisque qui debito modo dispositus sit, ius habeat ad s. communionem; neque caritas eum obliget, ut se tanto bono privet ad evitandum damnum illud spirituale proximi. Ubi autem periculum sacrilegiorum revera adest neque alio modo praecaveri potest, videtur tamen *suaderi* vel saltem *proponi* posse, ut unusquisque, si non semel in hebdomade, attamen aliquando saltem a s. communione abstineat; quum sit utique eximum opus religionis erga Deum, praecavere sacrilegia, atque actus caritatis erga proximum; quo insuper etiam propriam libertatem conscientiae in tuto collocat.¹⁾ Neque obstant verba decreti *Sacra Tridentina Synodus*: «*Ca-veant Confessarii ne a frequenti seu quotidiana communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat*», neque quod ibidem communio frequens et quotidiana praecise pro ephebeis et religiosis Communitatibus urgetur. Nam, assumpta tali praxi, sacra communio manet moraliter quotidiana.

Aliis tamen ne haec quidem praxis probatur²⁾; tum quia Ecclesia desiderat ut *omnes* Christifideles quotidie communiecent; tum quia ipsis communicantibus tribuendum est si indigne S. Eucharistiam recipient, neque ideo licet totam Communitatem ea privare; tum demum quia reapse pluribus aliis modis sacrilegia praecaveri possunt, augendo v. g. facilitatem adeundi Confessarium, vel res ita disponendo, ut communicantur non eodem semper ordine, seu potius nullo servato ordine, quasi permixtim ad sacram mensam accendant, ita ut facilius lateat, si quis communionem omiserit. Imo, in iis circumstantiis, in quibus reapse nota infamiae timenda erit (id quod, etsi raro, aliquando tamen occurtere poterit) sufficere posse videtur actus contritionis ad normam supra dictorum (n. 144. *qu. 1*); qua de re saltem in particulari poenitens ille, cui hoc expedire videbitur, instrui poterit.³⁾

Ipsa S. C. de disciplina Sacr. ad praecavendos abusus circa communionem quotidianam habitualem et pene generalem in seminariis, collegiis, communitatibus etiam religiosis in Instr. 8 Dec. 1938 Ordinariis varia remedia proposuit.⁴⁾ Una cum exhortatione ad communionem frequentem aperte etiam doceatur eam non praecipi nec fieri posse nisi sub debitis conditionibus quales sunt status gratiae, per confessionem recuperandus, pia intentio, consilium Confessarii; promovenda etiam frequens *confessio*, ideoque oppor-

¹⁾ De periculis quae subsunt, si in Communitate religiosa aut educativa omnes singulis omnino diebus communicent, cfr. Pighi IV² n. 148. *qu. 6. p. 75. nota 62.*

²⁾ Cfr. *N. K. St.* 1908. p. 356. Lintelo. *Triduum Eucharistique*.

³⁾ Cfr. *Pastor Bonus* xxviii (1915-16) p. 459-60. — De abstinencia a s. Communione tempore exercitiorum spiritualium cfr. *N. K. St.* 1909. p. 347.

⁴⁾ Est. instr. *reservata* ad Ordinarios locorum et Superiores maiores religionum clericalium: hinc non inventur in *A. A. S.*: sed v. g. in *Periodica*. 1939. p. 317. *Mon. Eccl.* 1939. p. 245.

tunitas et libertas adeundi Confessarios, tempore praesertim s. communionis distribuendae; laudanda a Superioribus, verbis et factis, non tantum frequentia sed et libertas in communicando; nec ratio de ea habenda in promenda sententia de iuvenum in pietate profectu.¹⁾ Nunquam in communitatibus puerorum et puellarum indicetur *Communio generalis* singulari quadam sollemnitate peragenda, atque etiam extra communitates nuncupatio ipsa « *Communio generalis* » ne usurpetur quidem vel huius appellationis sensus rite declaretur: invitari scil. omnes ad S. Mensam, neminem vero ad eandem cogi, immo singulis relinqui plenam facultatem et libertatem ab eadem abstinendi. Cum ad sacram Mensam acceditur, devitanda expressa ad S. Synaxim invitatio, rigidus atque pene militaris ordo accessus, insignia a communicantibus ferenda etc. Caveat etiam Superior ne SS. Eucharistia deferatur infirmis eam expresse non postulantibus.

168. — Notanda pro praxi. 1º Confessarius apud poenitentes quam maxime promoveat frequentem et quotidianam communionem; caveat autem ne ad frequentiam quasi cogat; quo facile fieri potest ut absque devotione SS. Eucharistiam suscipere incipient communionemque fastidiant.

2º Item eos docebit, quomodo devotionem et officia status ita coniungere debeant, ut haec sibi invicem minime noceant, ne ex frequenti communione aliquod detrimentum capiat cura rei familiaris vel infirmorum, educatio puerorum etc. Marc. n. 1582.

3º Insinuet etiam poenitentibus, ut saepius *spiritualiter* communicent. Id facient, ait Trid. (sess. 13. c. 8), « qui *voto* propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt ».

Articulus V.

De ritu Eucharistiae suscipiendae.

169. — **Regula.** *Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum QUOLIBET RITU confectum suscipient.* (can. 866. § 1.) Unusquisque ideo, pietatis causa, pro libitu a sacerdote ritus latini ac orientalis, sub azymo aut sub fermentato communionem recipere potest.²⁾ Codex solum *suadet*, ut praecepto *communionis paschalis* suo quisque ritu fideles satisfaciant. (can. 806. § 2.)

Quoad *Viaticum* autem exceptio fit; can. 866. § 3 enim praecipit: « *Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est, sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere* ».

¹⁾ Quomodo id componi possit cum interrogatorio annexo Instructioni S. C. de Sacr. 27 Dec. 1930 de inquisitionibus in promovendis ad Ordines faciendis (*A. A. S.* 1931. p. 128): « Num ad sacra Confessionem et ad sacram Synaxim crebro ac devote accedat » vide in *Periodica* 1940. p. 302. In hac videlicet instructione talis inquisitio non praescribitur ad ferendam sententiam a parte Superiorum Seminarii de iuvenum in pietate profectu; sed ope parochorum inquiritur de Sacramentorum susceptione tempore feriarum in ordine ad primam tonsuram et ordines minores conferendos. Cfr. etiam can. 618. § 2. 2º.

²⁾ Cfr. tamen Marc. n. 1521, cui haec concessio in solis regionibus orientalibus valorem obtinere videtur; Cappello. n. 524. qui usum concessionis restringit ad casum quo quis nequeat commode proprio ritu communicare.

CAPUT V.

DE CUSTODIA ET CULTU SS. EUCHARISTIAE

*Articulus I.***Custodia SS. Eucharistiae.**

170. — Asservari in ecclesiis Eucharistiam, ut dicit Conc. Trid. *ses-sio 13. cap. 6*), multis in Conciliis praeceptum invenitur et vetustissimo Ca-tholicae Ecclesiae more est observatum. Quare sancta Synodus damnat eos qui dixerint, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari (*l. c. can. 7.*) et statuit retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem. (*l. c. cap. 6.*) Quae reservatio sacrae Eucharistiae ut fiat cum reverentia tanto Sacramento debita, Ecclesia plures circa ipsam leges edixit.

Perpendendum est: 1º sub quibus conditionibus; 2º in quibus ecclesiis; 3º quomodo et 4º quamdiu asservari possit Eucharistia.

171. — **Conditiones generales ut asservari possit.** Ut Eucharistia alicubi asservari possit, requiritur: 1º ut adsit sacerdos qui eius curam habeat; et 2º ut regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret. (can. 1265. § 1. coll. can. 1269. § 4.)

Ecclesiae in quibus asservanda sit. I. Custodiri *debet*: 1º in ecclesia ca-thedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelatura*e nullius*, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae; 2º in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroe-ciali; 3º in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum. (can. 1265. § 1. 1º.)

II. *De licentia Ordinarii loci custodiri potest*: 1º in ecclesia collegiata; 2º in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae reli-giosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur. (*ibid.* 2º)

III. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est *indultum apostolicum*; ¹⁾ loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus. (*ibid.* § 2.)

Ex hisce canonum dispositionibus videri alicui posset, in ecclesiis *succursalibus* seu *subsidiariis curatis*, uti in nonnullis regionibus inveniuntur, quarum rector cuiusdam paroe-ciae partis curam animarum habet, si non sint adnexae domui religiosorum exemptorum, SS. Sacramentum asservari habitualiter non posse sine *indulto apostolico* (cfr. can. 483. 2º);

¹⁾ Quod *indultum pro privatis sacellis* non concedi nisi in casibus revera *extraordinarii* gravibus de causis praevia commendatione episcopi et additis opportunitis cautelis ibidem enumeratis denuo edixit S. C. Sacram. Instruct. 1 Oct. 1949. (*A. A. S.* 1949. p. 508 *sqq.*)

attamen ex alia parte dubitari potest utrum haec fuerit mens Codicis, quum fere quasi-paroeciae sint, et custodia SS. Eucharistiae in iis aequa necessaria sit ac in ipsa paroecia. Quare sicut antea, etiam nunc ibi Eucharistia asservari posse videtur. Saepe etiam accedet im-memorabilis consuetudo; qua accedente Ordinarium permittere posse asservationem Euchari-stiae declaravit Com. Cod. 20 Maii 1923. (*A. A. S.* 1924. p. 144.) Cfr. etiam Cappello. n. 358.

IV. Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo SS. Eucharistia custodiri nequit, *nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio*; nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii. (can. 1267.) Quo canone nullum confertur ius asservandi Eucharistiam, sed ius quod aliunde habetur (ad norm. can. 1265. § 1-3) circumscribitur.

Cuius canonis sensus, secundum declarationem Comm. Interpr. Cod. 2 Iun. 1918 hic est: 1º si religiosa vel pia domus adnexam habeat publicam ecclesiam *eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia implenda*, SS. Sacramentum *in ea tantum* asservari potest; 2º si nullam publicam ecclesiam adnexam habeat vel adnexa *non utatur ad dicta exercitia*, SS. Sacramentum asservari potest *in oratorio principali* religiosae vel piae domus, *in eoque tantum* (sine praeiudicio tamen iuris Ecclesiae, si quod forte *aliunde* habet); 3º dicta sub 1º et 2º valent ubi in eodem materiali aedificio habetur una tantum familia; ubi vero in eodem materiali aedificio sunt *distinctae et separatae familiae*, ita ut *formaliter sint distinctae religiosae vel piae domus*, singulae ecclesiam vel oratorium cum custodia Eucharistiae haberé possunt.

Distinctae et separatae familiae haberi possunt v. g. in Seminario, ubi a communi-tate Seminarii distincta et separata habetur communitas sororum quae domesticam curam gerunt; item in domibus exercitiis spiritualibus laicorum destinatis.

Contra ordinarie non videtur licitum in oratorio separato, pro novitiis Eucharistiam custodire; novitiatus enim ordinarie non est ita distincta et separata familia, ut distinctam efficiat religiosam domum.

Nota. 1º Nemini licet Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre. (can. 1265. § 3).¹⁾

2º Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant. (can. 1266.)

172. — Quomodo asservanda sit. I. SS. Eucharistia custodiri debet *in altari*; continuo autem seu habitualiter custodiri nequit, nisi **IN UNO ALTARI TANTUM** eiusdem ecclesiae. (can. 1268. § 1.)

Porro custodire debet in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decen-tius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae maioris attinet. (*ibid.* § 2.) Sed in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventionalibus, in quibus ad altare maius chorales functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut SS. Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiori, sed in alio sacello seu altari. (*ibid.* § 3). Curent autem ecclesiarum rectores ut altare in quo SS. Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem. (*ibid.* § 4.)

¹⁾ Cfr. *N. K. St.* 1915. p. 364.

II. SS. Eucharistia servari debet *in tabernaculo inamovibili* in media parte altaris posito. (can. 1269. § 1.)

Quocirca notandum: 1º Tabernaculum debet esse affabre exstructum, unde quaque solide clausum, decenter ornatum, ad normam legum liturgicarum, et ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiatur ut periculum cuiusvis sacrilegæ profanationis arceatur. (*ibid.* § 2.) In eo igitur non sint vasa sacrorum Oleorum, neque Reliquiae. Nec ante nec supra illud apponi fas est imagines Sanctorum, aut Reliquias, etiam S. Crucis. Ita Rituale et S. R. C. 12 Mart. 1836 ad I. n. 2740. Licet tamen, ut mos est, ponere crucem super tabernaculum ad Sacrificium Missae.

2º Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum SS. Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tuiore et decenti asservari; quo tamen in casu ante illum locum continuo lampas luceat, uti secus ante tabernaculum. (*ibid.* § 3.)

3º *Clavis* autem tabernaculi diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis, qui ecclesiae vel oratorii curam habet. (*ibid.* § 4.)

Rectori ecclesiae «districte praecipitur ut clavis tabernaculi nunquam super mensa altaris aut in claustro ostioli relinquatur, ne tempore quidem quo mane divina officia ad Sacramenti altare et S. Communionis distributio peraguntur, præsertim si hoc altare haud in conspicuo sit. Hisce vero absolutis, clavis vel ab ecclesiæ rectore domi custodiatur aut ab ipso continenter gestetur, amissionis periculo remoto, vel in sacrario, et quidem in loco tuto et secreto, reponatur altera clavi claudenda, quam alteram clavem uti supra rector tueatur.» Ita *Instr.* S. C. de dise. Sacr. 26 Maii 1938¹⁾ in qua *Instr.* integer canon 1269 fuse explicatur atque in multis accuratius determinatur.

III. *Coram tabernaculo*, in quo SS. Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberri nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus. (can. 1271.)²⁾

Omissio luminis coram SS. Sacramento est peccatum grave, si per notabile tempus omittatur, ut docent communiter. Unde Parochus, vel ille cui ista cura commissa est, certe peccat mortaliter, si ob graviter culpabilem negligentiam integro die vel aliquot noctibus lumen non ardeat. (n. 248.)

IV. Particulae consecratae perpetuo conservari debent *in pyxide* ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, coperito albo velo serico, et, quantum vel res feret, ornato. (can. 1270.)

Pyxis, seu ciborium, quoad fieri potest, sit argentea. Permittitur tamen pyxis ex cupro deaurato; item ostensorium et lunula. SS. Sacramento sempre substratum sit corporale benedictum et mundum, aut saltem palla. Ita Rituale et S. C. Epp. et Reg. 26 Iulii 1588, S. R. C. 31 Aug. 1867 ad 6. n. 3162.

Pyxis non debet consecrari, sed benedici; in Rituali enim et Pontificali Rom. habetur tantum *benedictio* pyxidis, quin ulla fiat mentio de unctione Chrismatis. (n. 384.) Benedictio vero pyxidis præcepta est, et obligat sub veniali, ut patet ex Missali *Rit. Miss. tit. 2. n. 3.*

¹⁾ *A. A. S.* 1938. p. 98. Cfr. et hortationem eiusdem S. C. 10 Febr. 1941 de eadem re. *A. A. S.* 1941. p. 57. Cfr. etiam epistolam S. C. de disciplina Sacr. 15 Sept. 1943 de custodia et protectione SS. Euch. adversus bellicos incursus. *A. A. S.* 1943. p. 282.

²⁾ Quaenam permissa fuere pro tempore belli et postbellico cfr. *A. A. S.* 1916. p. 72; 1942. p. 112. 1949. p. 476.

ubi legitur: « Si est consecratus plures hostias pro communione facienda, quae ob quantitatem super patenam manere non possunt, locat eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato, vel vase mundo *benedicto* ».

Quod dictum est de benedictione pyxidis, valet quoque de ostensorio, vel saltem de circulo seu lunula, in qua collocatur hostia consecrata, cum exponitur in ostensorio. (n. 385. Quaest. reform. 74.)¹⁾

173. — **Qua copia et quamdiu particulae consecratae asservanda sint.**
I. Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo conserventur. (can. 1270.)

II. Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem SS. Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit (can. 1272.)

Hostiae singulis octiduis, aut certe singulis quindenis diebus renovari debent. Novae Hostiae consecratae nunquam veteribus admisceantur, sed veteres vel primo distribuendae vel a sacerdote in Missa sumenda sunt. Ita Rituale n. 7 et Const. Benedicti XIV. *Etsi pastoralis*. 26 Maii 1742, § 6. n. 4. Cfr. etiam supra n. 108. 3º.

174. — Quaestiones. QUAER. 1º *Quid sacerdotem facere oporteat, si, sumpta ablutione, advertat fragmenta hostiae.*

Resp. Dist. Si fragmenta illa sunt reliquiae eiusdem Sacrificii, sumat ea sive parva sunt sive magna, quia ad idem Sacrificium spectant; uti praescribit Missale de defect. tit. 7. n. 2. Quin etiam id faciat, postquam iam rediit in sacristiam, at nondum sacras exuit vestes; quia et tunc sumptio eorum est complementum ipsius Sacrificii. Postquam vero sacerdos saecris se vestibus exuit, fragmenta in tabernaculo recondere debet, si adsit, aut alii sacerdoti eodem mane Missam celebraturo reservare sumenda; quodsi neutrum fieri possit, ipse ea absumat.

Si reliquiae sunt alterius Sacrificii, non licet ea sumere, nisi quando decenter servari non possunt; quia sacerdoti non iejuno Rubrica permittit tantum sumere reliquias, quae ad idem Sacrificium spectant, siquidem illud perficiunt.

Opportune hoc loco adverti potest, quod si sacerdos, dum defert communionem ad infirmum, iusta de causa unam tantum Hostiam consecratam secum sumpserit, tunc, ea infirmitate administrata, pyxis seu parva custodia ablui potest in domo infirmi, et huic traditi ablutio sumenda; deinde pyxis abstergitur purificatorio. (n. 251.)

QUAER. 2º *Quid agendum, si hostia integra reperiatur.*

Resp. Dist. Si consecrata est, in tabernaculo ponenda est cum aliis. Si hoc fieri nequeat, sequenti sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra corporale decenter operta, sumenda cum altera quam is est consecratus, relinqui debet. Si neutrum fieri possit, in calice seu patena decenter conservanda est, quounque in tabernaculo ponatur, vel ab alio iejuno sumatur. Quodsi non habeatur quomodo honeste conservetur, potest sacerdos eam sumere. Ita Missale de defectibus tit. 7. n. 3.

In dubio autem num consecrata sit, sumenda est ante vel post purificationem calicis, aut melius cum ipsa purificatione. (n. 251. H. A. n. 18.)

¹⁾ Quoad asservationem SS. Euch. ultimo triduo Maioris Hebdomadae etiam pro infirmis cfr. Instr. S. C. de disc. Sacr. 16 Martii 1929. A. A. S. 1929. p. 636.

QUAER. 3º *Quid factum opus sit, si infirmus evomat Eucharistiam.*

Resp. Quum resumptio S. Hostiae ordinarie nauseam allatura sit, in praxi praestat ut, si Hostia integra appareat, ope cochlearis caute colligatur in vase mundo cum aqua, deinde in aliquo loco sacro recondatur donec corrumpatur, et postea in sacrarium proiiciatur. Quodsi species consecratae non appareant, vomitum stupa colligatur, comburatur, et cineres in sacrarium mittantur. Cfr. Missale de defect. tit. 10. n. 14.

Articulus II.

Cultus SS. Eucharistiae.

175. — Cultus latiae exhibendus. *Christus in Eucharistiae Sacramento adorandus est cultu latiae, etiam externo.* Est de fide e Conc. Trid. sess. 13. can. 6. Fundatur in dogmate realis praesentiae.¹⁾

Inde et idem Conc. declarat pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam introductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac sollemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. (*l. c. cap. 5;* cfr. et *ibid. can. 6.*)

Quam maxime *devotio fidelium erga SS. Sacramentum excitanda est.* Quare qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, nihil omittant ut pietatem erga sanctissimam Eucharistiam in eorum animis excitent, eosque praesertim hortentur, ut, non modo diebus dominicis et festis de pracepto, sed etiam diebus ferialibus intra hebdomadam, frequenter, quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et sanctissimum Sacramentum visitent. (can. 1273.) Unde etiam Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant. (can. 1266.)²⁾ Peculiari autem modo mos ille valde laudandus est, quo multa pietatis exercitia in christiani populi consuetudinem inventa, Eucharistiae benedictionis ritu finem habeant.³⁾

176. — Expositio SS. Sacramenti. I. Expositio SS. Sacramenti duplex distinguitur: 1º *privata* seu *cum pyxide* et *publica* seu *cum ostensorio.* Ita ex can. 1274. § 1. In expositione privata *pyxis suo velo cooperta relinquenda est in tabernaculo aperto;* expositio publica fit cum *ostensorio in throno.*⁴⁾ Expositionem SS. Sacramenti *cum pyxide vel ciborio detecto in throno S. Sedes non agnoscit, imo pluries talem modum SS. Sacramentum exponendi reprobat*⁵⁾; quae si forte alicubi fiat, aliis ut expositio *publica* habenda videtur et secundum normas iuris pro publica expositione statutas videtur tractanda, aliis vero nunc ut *privata* videtur tractanda.⁶⁾

¹⁾ Cfr. Pius XII Encycl. *Mediator Dei.* 20 Nov. 1947. (*A. A. S.* 1947. p. 569-570.)

²⁾ Pius XII Encycl. *Mediator Dei l. c. p. 571; 584. N. K. St.* 1911. p. 198.

³⁾ Pius XII Encycl. *Mediator Dei l. c.*

⁴⁾ Cfr. S. R. C. 16 Mart. 1876. *ad 1.* (n. 3394.), 22 Dec. 1753. *ad 10.* (n. 2427.), 14 Tun. 1873. (n. 3302.) etc.

⁵⁾ Cfr. S. R. C. 23 Maii 1835. *ad 4.* (n. 2725.), 28 Apr. 1902. *ad 7.* (n. 4096.), 16 Febr. 1906. *ad 2.* (n. 4180.)

⁶⁾ Cfr. N. K. St. 1922. p. 131 seq.

II. Expositio privata seu cum pyxide in ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri potest *ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia*. (can. 1274. § 1.) Videtur igitur etiam plures eodem die fieri posse.

Non tamen licet Missam cum cantu vel lectam celebrare coram SS. Sacramento *velato vel in pyxide exposito* intra vel extra tabernaculum, et talis usus tolerari nequit.¹⁾

Hoc loco etiam notandum non licere Eucharistiam ad infirmos deferre ad adorandum solum vel devotionis seu cuiusvis rei praetextu, quin eam sumat infirmus.²⁾

III. Expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra Octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum sollemnia et ad Vespertas; aliis vero temporibus nonnisi ex iusta et *gravi causa prae-sertim publica et de Ordinarii loci licentia*, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat. (can. 1274. § 1.)

Expositio publica SS. Sacramenti festo Corporis Christi et intra Octavam permittitur iure communi in *ecclesiis illis omnibus illisque tantum*, quibus datum est asservare Eucharistiam, firmo tamen praescripto canonis 1171, h. e. salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus et salvo jure Ordinarii in ecclesiis quae non sunt religionis exemptae, horas sacrorum rituum iusta de causa praefiniendi. Ita ex resp. S. C. C. 14 Iulii 1922. X. (*A. A. S.* 1922. p. 529.)

Extra hoc tempus requiritur licentia Ordinarii loci; videtur tamen sufficere consensus *tacitus*, qualis facile haberi potest consuetis iam expositionibus, si Ordinarius loci non contradicat. Hac Ordinarii loci licentia indigent etiam religiosi exempti ut *in suis ecclesiis ianuis apertis* publice SS. Sacramentum exponant. Probabiliter tamen religiosi exempti non indigent licentia Ordinarii loci, ut expositionem publicam habeant pro sola communitate religiosa in oratorio vel etiam, uti videtur, in Ecclesia ianuis clausis.³⁾

Gravis causa et licentia Ordinarii, pro omni sollempni expositione requisita, a fortiori requiritur pro Missa coram SS. Sacramento sollemniter exposito.⁴⁾

177. — Supplicatio Quadraginta Horarum in omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque in quibus sanctissimum Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua fieri potest sollemnitate quotannis habeatur; et sicubi ob peculiaria rerum adiuncta nequeat sine gravi incommodo et cum reverentia tanto Sacramento debita fieri, curet loci Ordinarius ut saltem per aliquot continuas horas, statis diebus, sanctissimum Sacramentum sollemniore ritu exponatur. (can. 1275.)⁵⁾

¹⁾ Ita S. R. C. die 27 Iulii 1927. (*A. A. S.* 1927. p. 289).

²⁾ Ita ex Rit. Rom. tit. 4. c. 4. n. 5.

³⁾ Cfr. N. K. St. 1922. p. 136.

⁴⁾ Ita S. R. C. 11 Maii 1878 (n. 3448) et 17 Apr. 1919 (n. 4353), quae decreta denuo inculcantur in decr. 27 Iulii 1927 supra citato.

⁵⁾ De caeteris quae spectant ad liturgiam supplicationis quadraginta horarum remitto ad meum *Cæremoniale sollemnium functionum*, Pars II. tit. 11.

Pars Secunda.

De Sacrificio Missae.

Hoc Novae Legis Sacrificium Christus in ultima Coena instituit, simulque Apostolos Novi testamenti sacerdotes constituit, et eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent praeceperit, inquit Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. et sess. 23. cap. 1.

Materia pertractanda sub quatuor capitibus continebitur, quae sunt: 1º notio Sacrificii Missae; 2º eiusdem valor et fructus; 3º obligationes sacerdotum circa applicationem fructus Missae; 4º obligationes sacerdotum circa celebrationem Missae.

CAPUT I.

NOTIO SACRIFICII MISSAE

178. — Notio sacrificii in genere. Sacrificium *generaliter* definitur: Oblatio rei sensibilis per veram eius immutationem aut destructionem, a legitimo ministro facta Deo, ad testandum supremum Dei in nos dominium nostramque subiectionem.

Sacrificium ex fine suo dividitur: 1º in *latreūticum*, quod offertur ad cultum Deo tamquam supremo Domino exhibendum; 2º *eucharisticum*, in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; 3º *impetratorium*, ad beneficia obtainenda; 4º *propitiatorium*, ad placandum Deum pro peccatis condonandis, et avertendis poenis. (n. 304.)

179. — Notio Sacrificii Missae. Sacrificium *Missae* est Sacrificium in quo Corpus et Sanguis Christi sub speciebus panis et vini Deo offertur. — Hoc sacrificium Novae Legis est holocaustum, quod est perfectissima Sacrificii forma. — Deinde unum Sacrificium Missae quatuor recensitas species sacrificiorum perfecte continet. Est latreūticum, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi eiusdem dominii: eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: impetratorium gratiarum per merita Christi: propitiatorium in remissionem peccatorum, ac debitae iis poenae.¹⁾

¹⁾ Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (A. A. S. 1947. p. 549-550.)

180. — **Habitu ad Saerificium Crucis.** Incruentum Missae Sacrificium substantialiter idem est ac cruentum Crucis Sacrificium; nam in utroque est eadem res oblata, idemque principalis offerens.¹⁾ Differunt autem quoad modum offerendi²⁾; etenim in Missa « *incruente* immolatur, qui in ara crucis semel seipsum *cruente obtulit* ».³⁾ Aliae differentiae sunt: 1º Crucis Sacrificium obtulit ipse Redemptor *solas*, Missae vero Sacrificium offert *ministerio sacerdotum*; 2º per illud Christus de novo *meruit* et *satisfecit* quia in Cruce solutum est pretium Redemptionis nostrae; hoc vero *applicat* tantum merita Christi; aliis verbis, Sacrificium Crucis operatus est redemptionem nostram quantum ad *sufficientiam soluti pretii*; Sacrificium vero Missae *applicat fructum Sacrificii Crucis.* (n. 304.)⁴⁾

181. — **Offerentes.** Tres distinguuntur Sacrificii Missae *offerentes*, qui tamen diverso modo illud offerunt, videlicet: 1º Christus Dominus, ut Summus Sacerdos, qui principaliter offert. 2º Sacerdos ut proprius et immediatus minister, qui consecrat et sumit. 3º Ecclesia, seu universus populus fidelis; idque vel modo *generali*, in quantum sacerdos est totius Ecclesiae mediator deputatus, ut Sacrificium offerat nomine totius corporis; vel modo *speciali*, moraliter cooperando ad Sacrificium, nempe procurando ut Missa pro se offeratur, ministrando, et assistendo Sacrificio: quocirca tanto perfectius quis rationem offerentis participat, quando proprius vel pluribus modis cooperatur. Igitur Ecclesia offert Sacrificium per sacerdotem: sacerdos vero tamquam minister Christi et mediator populi fidelis. (n. 307.)

182. — **Quaestiones.** QUAER. 1º *In quo consistat essentia Sacrificii Missae.*

Resp. Magna fuit semper quaestio inter DD. S. Alfonsus olim cum magnae auctoritatis quibusdam theologis⁵⁾ docebat Sacrificium Missae essentialiter perfici *Consecratione simul et Sumptione*: in Consecratione nempe ponitur victima, in Sumptione consumitur; confectionem Sacrificii ergo quaerens potius in *reali destructione* quam sacramentali.

Hodie, praesertim post Encycl. *Mediator Dei* 20 Nov. 1947,⁶⁾ cum plerisque modernioribus theologis dicendum essentialiam Missae Sacrificii in *sola Consecratione* consistere. Siquidem per panis « *transsubstantiationem* » in *Corpus vinique* in *Sanguinem Christi*, Ipsius Corpus et Sanguis reapse praesentia adsunt, sub speciebus vero *quae cruentam corporis et sanguinis separationem figurant*. Itaque memorialis demonstratio Eius mortis, quae reapse in Calvariae loco accidit, in singulis altaris sacrificiis iteratur, in quantum per distinctas species Christus Jesus significatur et ostenditur in statu victimae (*destructione sc. sacramentali* non

¹⁾ Conc. Trid. sess. 22. cap. 2.

²⁾ Conc. Trid. l. c.

³⁾ Conc. Trid. l. c. Cfr. et Catech. Rom. pars II. cap. IV. qu. 61.

⁴⁾ Cfr. Pius XII Encycl. *Mediator Dei* l. c. p. 550-552.

⁵⁾ Ita Card. Bellarum. *De controv. tom. 2. de Missa lib. I. cap. 27. prop. 7 et 8*; Lessius *De Euch.* qu. 83. n. 33 (postquam antea tenuerat sicuti etiam ipse S. Alfonsus, alteram sententiam in opere *De perfect. divin. lib. 12. cap. 13.* cfr. etiam N. K. St. 1906. p. 61-63.); Salmant. *Theol. Dogm. disp. 13. n. 29-46*; Cano *De loc. theol. lib. 12. cap. 12.* resp. ad 4; S. Alfonsus *Theol. Mor. lib. VI. n. 305* et alii.

⁶⁾ A. A. S. 1947. p. 548-549; cfr. etiam p. 563.

reali). Circa autem modum explicandi, quomodo Consecratio sit actio sacrificia sacramentalis, ulterius disputant theologi. Sumptio iure divino pertinet ad *integritatem Sacrificii*, in quantum ad externam eius consummationem requiritur ut sacerdos de eo participet; fidelium autem participatio per communionem non est necessaria ad integratatem.¹⁾

QUAER. 2^o *An Consecratio utriusque speciei sit de essentia huius Sacrificii.*

Resp. 1^o Certo requiritur utriusque speciei consecratio ex *praecepto divino*; nam Christus Corpus suum et Sanguinem aeterno Patri suo obtulit sub speziebus panis et vini, et iussit sacerdotes omnes id facere, quod ipse fecerat tamquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech.²⁾ 2^o Est etiam de essentia huius Sacrificii; de essentia enim huius Sacrificii est expressa repraesentatio Sacrificii cruenti; haec autem non fit nisi per Consecrationem utriusque speciei; nam, sicut Sacrificium cruentum perfectum non fuit sine Sanguinis effusione seu a Corporis separatione, ita neque Sacrificium inercuentum perficitur, nisi sacramentaliter in eo Sanguis Effundatur, i. e. separatim a Corpore consecretur. Ita Bened. XIV *De Sacrif. Miss. sect. 2. n. 83*, et alii communiter. (n. 306.)

CAPUT II.

VALOR ET FRUCTUS MISSAE

Trademus: 1^o naturam valoris et fructus Missae, 2^o modum quo producuntur fructus.

Articulus I.

Natura valoris et fructus Missae.

183. — **Notiones.** *Valor* Sacrificii in quantum homines respicit est *virtus*, quam habet ex dignitate rei oblatae et *principalis offerentis*, ad conserenda bona offerentibus et iis pro quibus offertur. *Fructus* sunt bona ipsa, quae Deus intuitu Sacrificii confert. Unde valor a fructu differt, quemadmodum causa ab effectu.

184. — **Divisio fructus Missae.** Fructus Missae distinguitur ex triplici fonte: 1^o A parte *causae* est vel *essentialis* seu *ex opere operato*, qui confertur ratione Sacrificii ut est Sacrificium Christi, hostiae et *principalis offerentis*, vel *accidentalis* seu *ex opere operantis*, qui confertur ratione aliorum offerentium, scil. ratione impetrationis *Ecclesiae* et intuitu meriti et devotionis *celebrantis* ut est persona privata, neenon *fidelium* speciali modo ad sacrificium concurrentium.

2^o A parte *rei* est triplex, scilicet: *propitiatorius*, nempe remissio peccatorum tam mortalium quam venialium; *satisfactorius*, videlicet remissio

¹⁾ *Encycl. Mediator Dei l. c. p. 562.*

²⁾ *Trid. sess. 22. cap. 1.*

poenae temporalis peccatis condonatis adhuc debitae; *imperatorius*, i. e. *imperatratio bonorum tam spiritualium quam temporalium*.

3º A parte *participantium* distinguitur fructus *generalis*, cuius fideles omnes, vivi et defuncti, fiunt participes, modo obicem non ponant: *specialis* seu *medius*; quem sacerdos iis applicat, pro quibus specialiter Sacrificium offert: *specialissimus*, quo fruitur sacerdos celebrans, et suo modo fideles actu conferentes ad Sacrificium, puta assistentes,¹⁾ ministrantes etc. Pro omnibus orat Ecclesia intra Missam. (n. 312.)

Observandum interim, quod fructus *generalis* est *imperatorius* et *propititorius* tantum; quia fructus *satisfactorius* exposcere videtur vel oblationem per propriam actionem, vel specialem applicationem sacerdotis. Fructus vero *specialis* et *specialissimus* est tum *satisfactorius*, tum *imperatorius*, tum *propititorius*. (Suar. disp. 79. sect. 8.)

185. — Principia. I. VALOR sacrificii Missae est intensive et extensive infinitus propter infinitam dignitatem et infinita merita Christi, qui in eo est *victima et principalis offerens*. Dicitur: 1º *intensive infinitus*, quatenus Missae Sacrificium sufficit ad producendum fructum magis ac magis intensum; 2º *extensione infinitus*, quoad multitudinem effectum in innumeris hominibus. Ratio est, quia Missae Sacrificium idem est, etsi modo diverso oblatum, cum Crucis Sacrificio, quod fuit infiniti valoris.

II. FRUCTUS sacrificii Missae est: a) *infinitus extensive* quoad eum fructum, quem accipiunt fideles quatenus *offerentes* sunt, ita ut non minuatur in singulis ex multitudine concurrentium. Ratio est, quia, sicut multipli-cantur oblationes personales, ita et fructus eisdem respondens. Est tamen finitus intensive, quia homo fructus infiniti capax non est.

b) *finitus* quoad eum fructum quem accipit ille pro quo sacerdos Sacrificium offert. Ita omnes quidem Theologi docent. Celebris autem est quae-stio inter DD.: *Unde proveniat illa limitatio seu utrum sit finitus non tantum intensive sed etiam extensive*. Tamvero contra paucos negantes sententia communis et multo probabilius habet effectum ex opere operato esse finitum et taxatum ex institutione et voluntate Christi ideoque esse finitum *exten-sive* ita ut eo singulis minor obveniat, quo pluribus Missa applicatur.

Sunt qui docent effectum Missae non esse finitum, nisi ex finita capacitate hominum, qui illum participant, quorum unusquisque percipit fructum secundum mensuram dispo-sitionis sua; consequenter Missa oblata pro multis tantum prodest singulis, quantum si pro uno offerretur. Ratio, quia, cum hoc Sacrificium sit veluti receptaculum continens in se totam virtutem Sacrificii Crucis, operatio eius ex se illimitata est.

Nihilominus non licet plura stipendia pro una Missa accipere; nam: 1º stipendium non datur ut pretium Missae, sed pro sustentatione ministri, quare deficit titulus iustus pro duplice stipendio accipiendo; propterea Alexander VII proscriptis prop. 10: «Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre»; 2º cum sententia opposita sit probabilis, non potest sacerdos pro stipendio certo incertum Missae fructum applicare.

¹⁾ Quomodo obtainendum ut assistentes ubiores fructus ex hoc Sacrificio obtinent, vide tom. I n. 525 Nota.

Sententia autem communis et multo probabilior docet effectum Missae *ex opere operato* esse finitum et taxatum ex institutione et voluntate Christi; idcirco, si pro pluribus offeratur, dividendus est fructus inter illos, ideoque quo fuerit pro pluribus oblata, eo minor fructus ad singulos pervenit. Probatur ex usu et sensu Ecclesiae; etenim, si non esset a Christo determinatus fructus, 1º nunquam deberent sacerdotes fructum uni tantum applicare; cur enim caeteros tanto fructu privarent, si sine unius detrimento possent multi alii aequalem fructum percipere? 2º Superflua foret Sacrificii iteratio pro eadem persona vel pro eodem obiecto; quinimo uno Sacrificio evacuandum esset purgatorium 3º Inanis videtur applicatio fructus specialis Missae facta a sacerdote, siquidem fructus unice dependeret ex dispositione hominum; hoc autem damnavit Pius VI in Bulla *Auctorem fidei*, prop. 30. infra ad calcem huius operis relata. Confirmatur ex eo quod Christus voluerit ut hoc Sacrificium frequentetur, unde oportuit efficaciam eius limitare. S. Thomas 4. *Sent. dist.* 45. *qu. 2 art. 4. sol. 3. ad 2.* S. Bonav. 4 *Sent. dist.* 45. *a. 2. qu. 3. ad 4.* Bellarmin. *De Euch.* lib. 6. cap. 4. pr. 4. Suarez *disp. 79. Sect. 11 et 12.* Lessius *De Euch.* *qu. 83. n. 57-61.* Lugo *disp. 19. n. 135.* Toletus *De Sacrif. Miss. controv.* 8. Elbel *n. 401.* Bened. XIV *De Sacrif. Miss. Sect. 2 n. 182.*¹⁾.

Adde quod quamvis fructus multiplicetur pro multiplicatione *adstantium*, non tamen multiplicari posse videtur pro multiplicatione *offerentium stipem*. Est titulus non multiplicabilis; postquam enim quis ex condicto principiaverit sacrificium adaequate, non remanebit alteri locus idem sacrificium principiandi; prior praebuit materiam sacrificii et de facto et ex pacto *adaequatam*. Ita de la Taille. *Mysterium Fiduci*¹⁾. p. 352.

Articulus II.

Modus quo producuntur fructus Missae.

186. — **Principia.** I. *Sacrificium Missae, ut a Christo oblatum, fructus suos producit EX OPERE OPERATO*, independenter a dignitate sacerdotis offerentis. Constat ex communi Ecclesiae sensu; omnes enim persuasum habent Sacrificium hoc ex institutione sua habere singularem efficaciam ad applicandum aliquem fructum Redemptionis, quemadmodum docet Trid. sess. 22. cap. 1. et 2; haec autem applicatio, cum fiat vi institutionis, oportet ut includat efficacitatem ex opere operato. Accedit, Ecclesiam semper intellexisse fructum huius Sacrificii non pendere ex sanctitate ministri offerentis.

Dictum autem est: *ut a Christo oblatum*; nam quatenus continet orationes a sacerdote nomine Ecclesiae et nomine proprio prolatas, effectum habet non ex opere operato, sed ex opere operantis Ecclesiae et ex opere operantis sacerdotis. (*n. 312.*)

II. *Hoc Sacrificium confert IMMEDIATE ex opere operato REMISSIONEM ALICUTIUS POENAE TEMPORALIS peccatis condonatis adhuc debitae.* Ratio est, quia nullum Sacramentum est per se primo institutum ad hunc effectum, unde merito creditur Sacrificium ita applicare aliquam satisfactionem

¹⁾ In opere Morali *n. 312* S. Alf. utramque sententiam probabilem dicit, primam vero sibi videri probabilem. At in duabus posterioribus operibus, nempe in opere: *In Trident. sess. 22. n. 22.* et in opusculo cui titulus: *De Caeremoniis Missae P. 3. de abusibus in acceptandis Missis n. 26-28*, absolute docet secundam sententiam, camque communem vocat; unde videtur sententiam mutasse. Quapropter, cum secunda sententia omnino praeponderare videatur, eam multo probabiliorem nuncupavi.

Christi. Colligitur etiam ex Trid. sess. 25. *decret. de purgat.*, ubi docet animas purgantes hoc Sacrificio iuvari; quod fieri nequit nisi immediata poenarum remissione. (n. 311.)

III. *Non confert IMMEDIATE ex opere operato remissionem peccatorum, neque augmentum gratiae sanctificantis, sed MEDIATE TANTUM impetrando auxilia gratiae actualis*, quibus peccator excitatur ad poenitentiam, iustus autem ad actus meritorios, quibus gratia accrescit. Ratio est, quia, cum ad immediatum illum effectum instituta sint Sacra menta, nequit cum fundamento idem affirmari de Sacrificio. Constat etiam, quoad primam gratiam, ex Trid. sess. 22. cap. 2.: «Huius (Sacrificii) oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimititt». (n. 311.) Effectus igitur *immediatus* sunt illa auxilia gratiae. Demum, quidquid per orationem impetrabile est, potest per hoc Sacrificium impetrari, et exaudietur eodem modo quo oratio.

187. — Quaestio. An Missa proposit defunctis infallibiliter seu ex opere operato.

Resp. Nonnulli negant; sed verius et communius affirmatur; quia, prout definit Trid. sess. 22. can. 3, hoc Sacrificium aequo institutum est pro vivis et defunctis; ergo non est ratio cur ex institutione Christi illis, non hisce, infallibiliter proposit. (n. 310.)

CAPUT III.

APPLICATIO FRUCTUS MISSAE

Expendemus: 1º Quid sit applicatio fructus Missae, et quaenam ad eius validitatem requirantur; 2º pro quibus Missa offerri possit; 2º pro quibus Missa offerri aliquando debeat.

Articulus I.

Natura applicationis et requisita ad eius validitatem.

188. — Praenotandum. Fructus Missae aliquis obvenit toti Ecclesiae et singulis eius membris, qui fructus dicitur *generalis*; dein peculiari modo sacerdos offerens et suo modo fideles actu ad Sacrificium concurrentes, fructus Missae participant, qui fructus dicitur *specialissimus*. Quorum uterque nulla indiget speciali sacerdotis applicatione seu peculiari eius intentione, qua determinat quem vult fructus Missae fieri participem vel ad quem finem vult fructum ordinari. Praeter hos tamen fructus datur alius fructus Missae ex opere operato qui

specialis dicitur quique ex speciali applicatione sacerdotis obvenit iis pro quibus sacrificium offert; de hoc fructu et eius applicatione agimus, cum de applicatione fructus Missae seu de applicatione Missae loquimur.

189. — *Principia.* I. *Datur fructus Missae specialis ex opere operato, quem in arbitrio celebrantis est applicare cui vult,* quique proinde ex speciali applicatione celebrantis obvenit iis, pro quibus sacrificium offert. Constat ex praxi universalis Ecclesiae, a Conc. Trid.¹⁾ confirmata et imposta, pro determinatis personis et ad determinatos fines Sacrificium offerendi; dein ex Const. Pii VI. *Auctorem fidei. prop. 30*, in qua contraria doctrina syn. Pist. damnatur ut falsa, temeraria, etc. inducens in errorem alias damnatum in Wiceloffo.²⁾ Ratio est quia Sacerdos per Ordinationem suam constitutus est a Christo dispensator meritorum et satisfactionum suarum; et inde in Ordinatione potestatem accepit Sacrificium offerendi, et consequenter aliquem eius fructum applicandi, pro vivis ac defunctis.

II. *Ad validam applicationem Missae hae postulantur conditiones:* 1^o *ut fiat ab ipsomet sacerdote celebrante;* quia est actus potestatis Ordinis; 2^o *saltem ante Consecrationem completam ne periculo nullitatis exponatur:* Sacrificium namque effectum producit, quando perficitur; probabiliter autem sola Consecratione perficitur ut diximus n. 182; 3^o *sit singulatim determinata, sive explicite exprimendo personam vel determinatum finem, sive implicite generali termino sufficienter attingente personas peculiares;* quia Deus non confert fructus Sacrificii, nisi secundum sacerdotis intentionem, penes quem est potestas applicandi. (n. 334. 335.)

Hinc valet applicatio v. g. pro eo, qui primus dedit stipendium; pro quo vult Superior, vel pro quo Petrus applicuit, pro eo cui applicare teneor etc. Similiter valet applicatio sub conditione de praeterito vel de praesenti; non vero sub conditione de futuro contingente, quia hoc nunc non est determinatum. — E contra non valet applicatio: Offero ut Deus vel B. Maria V. Sacrum illud applicet; tunc enim applicatio non fit a sacerdote, uti Deus fieri voluit. Valere tamen videtur, si dicitur: Applico ei cui Deus vel B. M. V. vult me applicare; hoc enim in casu ipse sacerdos personam pro qua offertur determinat, eam sc. cui beatae Virgini magis placet, ut fructus obveniat. Sic igitur applicatio ad intentionem B. M. V. explicari debet ut valeat. Cfr. Marc. II n. 1599. Pasqualigo. *De sacrificio novae Legis I. qu. 169.* Suarez. *De sacr. d. 43. s. 6.*

190. — *Quaestiones. I. De valore applicationis.*

QUAER. 1^o *Qualis beat esse intentio sacerdotis ad Sacrificium applicandum.*

Resp. Communis et verior sententia statuit sufficere *habitualēm*; quia applicatio fit in modum donationis, quae semel facta valet donec revoletur. (n. 335.)

¹⁾ Sess. 23. cap. 1. *de reform.*

²⁾ Cfr. Denz. n. 1530.

QUAER. 2º *Si sacerdos, postquam Sacrificium alicui applicaverit, oblitus postea talis applicationis, alteri applicet, utranam applicatio censenda sit valida.*

Resp. *Dist.* Si prior applicatio fuerit tam absoluta ut non nisi ex prioris oblivione postea aliam fecerit, prior non censetur revocata; quia fuit universalior et revocatoria posterioris. Si vero utraque voluntas esset aequalis, praevaleret posterior. Ita Lugo *De Sacram. disp.* 8. n. 124. Roncag. tr. 18. *qu. 2. cap. 2. qu. 3.*

In praxi parvi refert: cum enim alterutra valida sit, satis est quod sacerdos alio die intendat Sacrificium ei applicare, cui ob defectum prioris intentionis applicatum non fuit.

QUAER. 3º *Si quis stipendia acceperit a decem personis pro decem Missis, an satisfaciat applicando illis confusim primas decem Missas, quas leget.*

Resp. *Dist.* Si singula Sacrificia applicet singulis *indeterminate*, non satisfacit; quia requiritur intentio determinata.

Si singula Sacrificia applicet omnibus *collective*, satisfacit; quia nullus dubitat quin fructus Sacrificii sit divisibilis, et ideo unicuique tribuitur quod ei debetur; unusquisque enim in singulis Missis decimam fructus partem accipiendo, in decima Missa totum suum fructum percipit. (*n. 335. qu. 2.*)

Sufficit etiam intentio collectiva *implicita* quae practice haberi videtur si quis distributor multarum Missarum unice curet ut integer numerus Missarum dicatur nullum stabilendo ordinem neque positive excludendo intentionem collectivam, quod faceret intendendo ut singulae Missae ex toto pro una ex multis istis intentionibus dicerentur quin eam ullo modo determinaret. Curando unice de numero Missarum censendus est intendere singularum applicationem cumulativam pro rata stipendii. Id satis confirmari videtur ex resp. S. Poen. 7 Dec. 1892¹⁾, in quo tamen additur curandum esse ne ex tali praxi Missae ultra tempus debitum deferantur neve retardentur Missae quae ad certum diem vel pro urgente causa offeruntur. Insuper numerus Missarum definitus esse debet; si enim semper novae accendant intentiones quin distributor numerum unquam claudat, nulla unquam intentio integrum Missam obtinebit. Melior tamen usus est ut quantum fieri possit singulae Missae ex integro pro singularibus intentionibus dicantur, v. g. iuxta ordinem quo Missae receptae sunt vel iuxta ordinem a conferente praestabilitum idque imo tali modo ut ipse etiam celebrans sciat pro quali intentione Missam offerat, v. g. an pro vivo an pro defuncto vel etiam defunctis.²⁾.

191. — II. De effectu applicationis. QUAER. 1º *Quid si Sacrificium nulli applicetur, vel incapaci.*

Resp. Fructus tunc remanet in thesauro Ecclesiae. Quare in praxi, quando dubitatur num is, pro quo offertur, sit necne capax fructus, consultum est ut sacerdos Missas *gratuitas* applicet sibi vel alteri sub conditione *si persona, cui applicatur, non sit capax*; Missas vero *debitas* ex stipendio, cum probabiliter fructus cedat in beneficium propinquorum illius qui dedit stipendum (ex huius implicita voluntate), non potest sacerdos cui velit applicare, nisi sub conditione ut praecaudatum non fiat ei, pro quo celebrare tenetur. (*n. 336.*)

¹⁾ Cfr. *Anal. Eccl.* II. p. 23 vel Lehmkühl. *Casus conscientiae* II. n. 201 (cas. 56).

²⁾ Cfr. Vermeersch. III. n. 282. Wouters. II. n. 208. Noldin-Schmitt. III. n. 181. 4.

QUAER. 2º An possit sacerdos fructus Missae dividere, applicando uni fructum impetratorium, alteri satisfactorium.

Resp. Potest in Missis gratuitis. Similiter in Missis debitis ex pracepto Superioris, si Missae ad alterutrum solum finem praceptae sint; tunc potest fructus, non respondens fini praefixo, alteri applicari. Non licet vero in Missis debitis ex stipendio; cum fructus specialis datori eleemosynae totus debeatur. (Spor. part. 2. cap. 4. n. 292-302.)

QUAER. 3º An possit sacerdos aliis applicare fructum specialissimum, qui sibi confertur ex opere operato.

Resp. Negat., et communius negant, quemadmodum nec potest aliis applicari effectus ex opere operato Sacramentorum, aut satisfactio sacramentalis. (n. 318.)

Articulus II.

Pro quibus Missa offerri possit.

192. — Principia. I. *Fructus Missae CAPACES sunt tum omnes homines viatores, tum defuncti in purgatorio degentes.* Incapaces omnino sunt damnati; item parvuli, ante Baptismum mortui, qui in limbo existunt. Sancti in caelo non sunt capaces fructus Missae proprio sensu; potest tamen Sacrificium Missae offerri in eorum honorem, ad eorum patrocinium obtinendum et ut eorum cultus in terra promoveatur.

II. *Pro omnibus illis, qui fructus Missae capaces sunt, LICET etiam Sacrificium Missae offerre, in quantum id non prohibeatur iure ecclesiastico.* Cfr. can. 809. Iamvero:

1º Pro EXCOMMUNICATIS Missa privatim tantum et remoto scandalo applicari potest, et si sunt vitandi, solum pro eorum conversione. (can. 2262. § 2. 2º.)

2º DEFUNCTIS, qui ab ecclesiastica sepultura exclusi sunt¹⁾, denegari debent quaelibet Missae exequiales, etiam anniversaria. (can. 1241.) Inde universim publice pro iis Missam applicare prohibitum esse videtur²⁾; non tamen inde iam omnis privata celebratio pro iis interdicta est. Cfr. infra n. 193. 4º.

Notanda. 1º *Privata* pro aliquo celebratio ad hoc limitatur, quod sacerdos per speciale intentionem fructum speciale, qui a libera eius intentione pendet, tali subiecto applicat; *publica* vero celebratio pro aliquo habetur, quando etiam nomine Ecclesiae suffragia publica ei applicantur et preces pro eo funduntur inter eas quae pro membris Ecclesiae fiunt. Hinc est quod publica celebratio fit cum publica huius intentionis denuntiatione et, si casus ferat, cum nominis expressione in Missa et speciali oratione in Missa de Requiem; in privata applicatione pro aliquo nomen eius in Missa exprimi nequit nec celebrari potest Missa in qua specialis oratio pro ipso occurrat, nec publice talis applicatio denuntiari potest.

¹⁾ Quinam a sepultura ecclesiastica exclusi sint cfr. can 1239 et 1240; cfr. infra n. 1197.

²⁾ Hoc inferes ex resp. S. Off. 27 Iuli 1892.

2º Prohibitiones Ecclesiae respiciunt solummodo applicationem fructus ex opere operato, praesertim publicam, atque suffragia Ecclesiae; quae sacerdos praestat ut minister Christi et Ecclesiae. Nihil autem prohibit, actionem sacrificandi, prout est bonum opus proprium sacerdotis ut personae privatae, et pendet a merito privato operantis, pro illis offerre, vel in *Memento* peculiariter eorum meminisse, quia non privatus privatis suffragiis sed communibus tantum. (n. 308).

3º Notes fructum *satisfactorium* non applicari posse nisi *iustis*; quia durante statu peccati nulla poena remittitur.

4º Caveat sacerdos, si ad intentionem acatholicorum Sacrificium offerat, ne in offerentibus eleemosynam aliquid mali, aut erroris, aut superstitionis subsit. Cfr. S. Off. 12 Iulii 1865 (*Coll. de Prop. Fide* n. 1274.)

193. — Resolutiones. 1º Licitum est, etiam accepto stipendio, Missam celebrare pro *infidelibus vivis*, dummodo absit scandalum, etiam ad alium finem quam ad eorum conversionem; ita iam iure antiquo ex resp. S. C. de Prop. Fide 11 Mart. 1848 (*Coll. de P. F. I.* 1028) et decr. S. Off. 12 Iul. 1848 (*Coll. de P. F. I.* 1274.).

Et quidem per se licet tam publice quam privatim pro ipsis Missam offerre; infideles enim non sunt excommunicati ideoque exceptione canonis 2262. § 2 non plectuntur. Per accidens autem, ratione scandali, ordinarie a publica celebratione etiam pro iis abstinendum erit. Excipiendus fortasse erit casus, quando publice pro eorum conversione Missa offertur.

2º Licitum est, etiam accepto stipendio, privatim Missam celebrare pro *haereticis vel schismaticis*, etiam ad aliam intentionem quam ad eorum conversionem, modo absit scandalum. Dixi *privatum*, nam publice id non licet; quum haeretici et schismatici, etsi bona fide sint, tamen externo Ecclesiae iudicio excommunicati censeantur et ideo canone 2262. § 2 comprehendantur. — Ita dicendum secundum novum Ius, quo severiora quaedam olim circa Missas haereticis et schismaticis applicandas data, abrogata esse videntur.

3º Quoad *defunctos non-baptizatos*: a) Pro *catechumenis*, qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, etiam publice Missam applicare licet. Ita ex can. 1239. § 2.

b) *Pro aliis publice* Missa applicari nequit; ita ex can. 1241 coll. can. 1239; item antea ex resp. S. C. de Prop. Fide 12 Sept. 1645. Quodsi nulla positiva et probabilia signa conversionis dederint, nec privatim pro ipsis *in speciali* Missa applicari posse videtur; licet autem privatim pro ipsis celebrare, si aliqua positiva et probabilia conversionis signa dederint.

4º Pro *baptizatis defunctis* qui sequuntur, nequit *publice* celebrari, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa: a) pro notorie apostatis a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addictis; b) pro excommunicatis vel interdictis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; c) pro peccatoribus publicis et manifestis. *Privatum* pro omnibus istis celebrari posse videtur (cfr. Resp. S. Off. 27 Iul. 1892); saltem, quando de excommunicatis, haereticis, schismaticis et sectariis agitur, dummodo cum signis *bonae fidei* decesserint. Insuper, pro hisce omnibus offeratur Missa solummodo sub conditione: *si forte ante mortem poenituerit, si in statu gratiae fuerit*. Curet quoque Sacerdos ut intentionem secundariam faciat, ne secus fructus Missae nemini applicentur.

194. — **Quaestiones.** QUAER. 1º *An Missa de Requiem magis proposit defunctis, quam Missa de Sanctis.*

Resp. A parte Sacrificii aequaliter prodest; a parte vero orationum magis prodest; sed defectum istum in Missa de Sanctis supplere potest vel maior devotio, vel intercessio Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur. Ita S. Thomas. *Suppl. qu. 71 a. 9. (n. 310.)*

QUAER. 2º *An pro haereticis, schismaticis, excommunicatis in Missa etiam SPECIALIS ORATIO dici possit, uti obtinet in Missis de Requiem.*

Resp. Videtur non posse, cum haec oratio pertineat ad publicas Ecclesiae preces, quarum secundum can. 2262. § 1 excommunicatus particeps non fit.

Articulus III.

Quando Missa offerri pro aliquibus debeat.

In tractando de obligatione sacerdotis offerendi Missam, sedulo distinguendum est inter simplicem obligationem *celebrandi*, et obligationem *celebrandi et ad certum finem applicandi*. Quae sequuntur de obligatione *celebrandi et applicandi agunt.* — Potest autem sacerdos variis modis obligari ad Sacrificium pro aliquo vel aliquibus offerendum, scil. ratione promissionis, ratione obedientiae, ratione beneficii, ratione curae animarum, ratione stipendii.

§ I. - OBLIGATIO RATIONE PROMISSIONIS.

195. — Promissio gratuita offerendi pro aliquo Sacrificium, ex se probabiliter non obligat sub gravi, iuxta dicta *tom. I. n. 880*; nisi promissor expresse voluerit gravem obligationem sibi imponere; hoc autem raro obtinet. (*n. 317. qu. 4.*) Observandum insuper promissiones tales saepe non serio fieri nec cum intentione se obligandi, sed solum propositum manifestare. Quo in casu nullam obligationem inducunt.

§ II. - OBLIGATIO RATIONE OBEDIENTIAE.

196. — I. Certum est *celebrationem* Missae a Superiore ecclesiastico saeculari vi potestatis iurisdictionis et a Superiore regulari suis subditis iusta de causa praecipi posse; celebratio Missae enim non est actus mere internus sed mixtus.

II. Quantum ad *applicationem* ad certum finem, certum est R. Pontificem ipsam praecipere posse quatenus determinat vel applicat ius *divinum*; item sacerdotem, libere suscipientem aliquod officium, aut libere se ligando votis in aliqua religione, simul omnes obligationes applicandi Missas suscipere quae cum isto officio connexae sint aut ex istis votis profluant.

Hinc: 1º Pastores animarum secundum infra dicenda in § IV iure divino, a legislatore ecclesiastico magis determinato, pro populo sibi concredito applicare debent.

2º *Religiosi* tenentur applicare Missas, quas applicandas Superior ad normam Regulae iis imposuerit. Potest autem Superior praecipere *sub gravi*, quia materia gravis est. Porro si stipendum acceperit pro Missa offerenda, sub gravi praecipere censendus est; quia et ipse gravem obligationem iustitiae habet. Si autem ex alio motivo praecepit, ab adiunctis pendet utrum sub gravi an sub levi imposuisse censeri debeat.¹⁾ Quodsi Superior obligatione iustitiae tenetur ratione stipendi accepti, et ipsa obligatio iustitiae in subditum transfertur. (n. 317. qu. 4.)

Denique religiosus contra praeceptum valide nihilominus applicavit, quia potestas applicandi vi ordinis ipsi et soli sacerdoti competit.

III. *Disputatur an Superior ecclesiasticus vi PROPRIAE potestatis iurisdictionis DIRECTE applicationem Missae praecipere possit.* Plures affirmant, vel quia potest Superior praecipere actum mere internum, vel saltem quia applicatio est complementum alterius actionis mixtae, scil. Missae celebrationis. Ita Lehmkuhl. II. n. 282. 1, Noldin. III. n. 196, Wernz. III. n. 538.

Aliqui autem negant. Ratio est, quia actus ille applicandi est actus mere internus, cum externo actu celebrationis nullo necessario nexu coniunctus; talis vero actus probabilius ab Ecclesia imponi nequit. Ita Schaepman apud Ned. Kath. St. 1915. p. 274-281. Cfr. tom. I. n. 142.

Quidquid sit de hac theoretica disputatione, de facto Sedes Apostolica, quamquam aliquando imponit Sacerdotibus Missae *celebrationem*, non solet praecipere Missarum ad certum finem *applicationem*.

§ III. - OBLIGATIO RATIONE BENEFICII.

197. — Praenotandum. Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi redditus ex dote officio adnexos. (can. 1409.) Beneficia distinguuntur *curata* et *non curata*, prout curam animarum adnexam habent vel non. De obligatione Missam celebrandi et applicandi ratione beneficii curati agitur in § IV, ubi de obligatione ratione curae animarum; hic de obligatione ratione beneficii *non curati*, cui onera Missarum, sive quotidie sive certis diebus, adnexa sunt, unice est agendum.

I. Beneficiarius, si onera Missarum beneficio adnexa sunt, tenetur ex iustitia satisfacere institutioni fundatoris, h. e. Missas impositas *celebrare* et *ad intentionem fundatoris applicare*, nisi certo constet fundatorem celebrationem tantum imposuisse, relicta applicatione liberae celebrantis determinationi. Ratio obligationis ad intentionem fundatoris applicandi est quia praesumendum est fundatorem voluisse tum celebrationem tum applicationem ad suam intentionem, nisi certo contrarium constet. (n. 330. n. 324.)

¹⁾ Cfr. Resp. S. C. de Religiosis. 3 Maii 1914. (A. A. S. VI. p. 231).

Caeterum quoad servanda in adimpletione oneris beneficii, ad praesentem materiam applicanda sunt quae infra n. 219. dicentur de adimpletione oneris piae fundationis.

II. Ratione beneficii, in cathedralibus et collegialibus ecclesiis, *Missa conventionalis*, quae quotidie a Canonicis celebranda est, applicari debet benefactoribus generatim cuiuslibet respectivae ecclesiae. (can. 417. § 1.)

Si secunda aut tertia Missa conventionalis celebretur, in hisce sub *Memento defunctorum* fiat commemoratio benefactorum ecclesiae generatim. Quodsi Canonicatum praebendae tenues sint, possunt a S. C. Concilii facultatem implorare non applicandi benefactoribus Missam conventualem diebus ferialibus, sed tantum diebus festis ex praecepto. Ita Bened. XIV Constit. *Cum semper* 19 Aug. 1744. § 11, seqq. (n. 326.)

Hinc insuper notes: a) Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in Missae conventionalis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant. (can. 417. § 2.)

b) Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti vel ex cumulo distributionum vel ex redditibus omnium praebendarum per contributum. (ibid. § 3.)

c) Si quis eodem die urgatur onere utriusque Missae et pro populo et conventionali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti. (canon 419. § 2.)

§ IV. - OBLIGATIO RATIONE CURAE ANIMARUM.

198. — **Principium.** *Ii omnes qui curam animarum ex officio exercent, lege naturali et divina positiva etiam pro populo suo sacrificare debent; quia sacrificium pro populo est pars officii pastoralis, secundum illud D. Pauli: «Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis».* (Hebr. v. 1.) Unde etiam Trid. dicit sess. 13. de ref. c. 1: «Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre etc.».

Porro, haec obligatio absolute respicit Episcopos utpote solos iuris divini pastores; hypothetice vero respicit etiam pastores inferiores; hypothetice, prout nempe Ecclesia eis hanc partem coneredidit. Obligationem autem tam Episcoporum quam inferiorum pastorum Ecclesia accuratius determinavit.

199. — **Regulae speciales.** 1º EPISCOPI debent, post captam sedis possessionem, omni exiguitatis reddituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare. (can. 339. § 1.)

Notes: a) Dies festi in quibus Episcopus Missam applicare debet, sunt iidem quos in tom. I. n. 1145 indicavimus pro Missa a parocho celebranda.

b) In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicet. (can. 339. § 2.)

c) Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et absti-

nendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*, secus in die *a quo*. (ibid. § 3.)

d) Episcopus Missam pro populo per se ipse applicare debet; si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die. (ibid. § 4.)

e) Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aequo principaliter unitas regat aut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso. (ibid. § 5.)

f) Episcopus, qui obligationi suae non satisficerit, quam citius pro populo tot applicet Missas, quot omisit. (ibid. § 6.)

g) Episcopus *titularis* non tenetur obligatione applicandi Missam pro dioecesi cuius titulum gerit; decet tamen ex caritate, ut aliquando Missae Sacrificium pro ea offerat. (can. 348. § 2.)

2º ABBAS et PRAELATUS *nullius* eodem modo sicut Episcopus residentialis tenetur pro populo sibi commisso Missam applicare. Ita ex can. 323. § 1.

3º VICARIUS CAPITULARIS eodem modo ac Episcopus tenetur obligatione applicandae Missae pro populo. (can. 440.)

4º VICARI et PRAEFECTI APOSTOLICI pro populo sibi commisso applicare debent Missae Sacrificium saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Joseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnim Sanctorum; idque eodem modo quo supra sub. 1. *b-f* pro Episcopo dictum fuit. (can. 306.)

5º ADMINISTRATOR APOSTOLICUS (id est, iuxta can. 312, ille cui aliquius dioecesis canonice erectae regimen, sive plena sive vacante sede, S. Pontifex ob graves et speciales causas vel in perpetuum vel ad tempus commisit) *a)* si *permanenter* constitutus est, debet applicare tamquam Episcopus, quia «iisdem obligationibus tenetur» (can. 315. § 1.); *b)* si vero *ad tempus*, non tenetur ad applicationem, sed ipse Episcopus. (can. 315. § 2. 1º.)

6º PAROCHUS, QUASI-PAROCHUS, VICARI PAROECIALES quomodo hac obligatione teneantur, expositum fuit in *tom. I. n. 1145. 1146.*

§ V. - OBLIGATIO RATIONE STIPENDII.

Dicemus: *1º* de stipendio in genere, *2º* ob speciales canones hac de re latos, de Missis fundatis in specie.

Punct. I. Stipendium in genere.

Trademus: *1º* notionem stipendii, *2º* liceitatem huius tituli, *3º* conditiones liceitatis, *4º* officium stipendium acceptantis, *5º* transmissionem Missarum, *6º* praescriptiones iuris ad praecavendos abusus.

1. *Notio stipendii.*

200. — **Notio.** Stipendum Missae seu eleemosyna est donatio quam fideles sacerdotibus faciunt sub onere ut hi Sacrificium Missae celebrent et ad ipsorum intentionem applicent.

Induit igitur naturam contractus *do ut facias*. (cfr. can. 1544. § 2.)

201. — **Divisio.** Stipendia sunt aut manualia, aut ad instar manualium, aut fundata.

Manualia (seu adventitia) dicuntur stipendia quae a fidelibus immediate offeruntur pro Missa celebranda; nec refert utrum hoc faciant ex propria devotione, veluti ad manum, an vero ex obligatione, etiam perpetua, a testatore propriis heredibus facta. (can. 826. § 1.)

Fundata (Missae fundatae) dicuntur stipendia quae ex foundationum redditibus percipiuntur. (can. 826. § 3.)

Ad instar manualium vocantur stipendia Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas foundationis, et ideo de iure aut Sanctae Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt ut iisdem satisfiat. (can. 826. § 2.)

2. *Liceitas recipiendi stipendium.*

202. — **Principia.** I. *Secundum receptum et probatum Ecclesiae morem atque institutum, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti licet eleemosynam seu stipendum recipere.* (can. 824. § 1.) Ratio autem est, quia non dantur nec accipiuntur tamquam pretium operis, sed solum ob sustentationem necessariam et iure naturali sacerdotibus debitam; proinde, non obstante pacto, retinent suam rationem stipendii, et non fiunt pretium.¹⁾ Constat etiam ex Scriptura: Christus enim dixit apud Matth. x. 10: «*Dignus est operarius cibo suo*», et Paulus I Cor. ix. 7: «*Quis militat suis stipendiis unquam?*» (n. 316. 320. dub. 4. lib. 3. n. 55.)

Etiam Sacerdoti diviti licet stipendia accipere; Sacerdoti enim ministranti ex iustitia debetur alimentum, uti constat ex rationibus adductis; nihil ergo refert quod aliunde dives sit. (n. 317. Lib. 3. n. 55. Cfr. supra tom. I. n. 450 et 451.)

203. — II. *Non licet stipendum recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur; nec duplex stipendum pro eiusdem Missae applicatione.* Ita ex can. 825. 2º et 3º. Ratio est, quia secundum veriorem sententiam, si idem Sacrificium pro pluribus offeratur, singuli aliquo fructu defraudantur. Insuper pactum implice initum violaretur; fideles enim stipendum dant hac intentione, ut sibi soli Missa applicetur, et una Missa pro quolibet stipendio.

¹⁾ Cfr. S. Th. II-II. qu. 100. a. 2. et 3; cfr. supra I. n. 449.

Dictum est: 1º non licere stipendium recipere pro Missa quae alio titulo *debetur* et in illius obligationis adimpletionem *applicatur*. Si autem alio titulo obligatio sit tantum celebrandi exclusa applicatione, puta celebrandi in tali loco vel tali tempore, pro eadem Missa stipendium accipere licet et ad intentionem oblatoris applicare.¹⁾

Dictum est: 2º non licere duplex stipendium recipere pro eiusdem Missae *applicatione*. Si autem unum stipendium detur pro sola celebratione sine applicatione, licet alterum stipendium accipere et ad intentionem huius oblatoris applicare. Praesumitur tamen oblatorem stipendi petiisse et Missae applicationem ad suam intentionem; hinc statuit can. 825. 4º: «Non licet alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione».

Huc spectat prop. 10 damnata ab Alex. VII: «Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam iuramento firmata, danti stipendum, quod pro nullo alio offeram.»

Praeterea advertenda hic est prop. damnata 8; «Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII». Ratio damnationis est, quia applicatio fructus specialissimi irrita est, et praxis damnata simoniam continet. (n. 318.)

III. Quoties sacerdos pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini,²⁾ pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco. (can. 824. § 2.)

Dictum est 1º: nequit pro alia eleemosynam recipere, si unam Missam *ex titulo iustitiae* applicet; i. e. sive propter stipendium sive propter officium. Parochus igitur qui vi officii tenetur unam Missam pro populo applicare, pro neutra Missa stipendium accipere potest.

Non autem prohibetur utramque Missam *ex titulo iustitiae* applicare si nullum harum est stipendium. Nec prohibetur unam Missam *ex titulo iustitiae* applicare, sive propter stipendium sive ratione officii, et alia satisfacere obligationi, non *ex iustitia* debitae, v. g. ad implendam promissionem, etiamsi haec promissio fuisset remuneratoria³⁾; ad obediendum pracepto Superioris, modo Superior non imposuerit *ex iustitia*, pro accepto sc. stipendio; ad satisfaciendum obligationi caritatis incumbenti alicui ut membro associationis, applicandi se.

¹⁾ Inde neo-sacerdotes possunt tres Missas ab Episcopo ipsis impositas, pro aliis applicare etiam cum stipendio. (n. 829.)

²⁾ Die Nativitatis Domini stipendium accipere licet pro omnibus tribus Missis, et qui unam *ex alio titulo iustitiae* applicat, pro aliis duobus stipendium accipere potest. — In die Comm. Omn. Fid. Def. una Missa applicanda est pro omn. fid. def., alia ad mentem Rom. Pont.: utrumque sine stipendio. Una ex tribus applicari potest pro libitu offerentis, etiam pro stipendio vel *ex alio titulo* oneroso. Ita ex Const. Ben. XV. «Inciuentum» 10 Aug. 1915. (A. A. S. VII. p. 403.) In aliquibus regionibus Hispaniae tamen die C. O. Fid. Def. regulares tres, saeculares duas Missas applicare possunt pro stipendio: ita ex Const. Ben. XIV.

³⁾ Quod. expensis 21 Aug. 1748.

³⁾ Cfr. N. K. St. 1908. p. 210.

pro confratre defuncto.¹⁾ Nec prohibetur pro una Missa eleemosynam accipere si unius Missae sola celebratio est debita ex titulo iustitiae, non autem applicatio.

Dictum est 2º: pro alia eleemosynam recipere nequit; non autem refert, utrum Missa, cui stipendium annexitur, legatur primo vel secundo loco. Hoe etiam valet pro Missis quae die 2ª Novembris legi possunt.²⁾

Dictum est 3º: excepta retributione *ex titulo extrinseco*, laboris nempe et incommodi extrinseci, quod altera Missa legenda secum fert ratione horae, distantiae loci etc. Quo canone generali sublata est prohibitio S. C. O. 15 Oct. 1915. ad III, illud exigendi die 2ª Novembris.³⁾

NOTA. Pius IX per Decretum S. C. de Prop. Fide 15 Oct. 1863 Ordinariis Missionum facultatem indulgendi ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa eodem die celebranda stipendium percipere possint.

Etiam extra terram Missionis interdum talia indulta conceduntur Ordinariis, sed tantum *conditionate*, sub conditione sc. ut Missae applicentur ad mentem Episcopi, qui eleemosynas accipiet ut eas eroget in causas pias. Si hae causae piae non ulterius indicantur, licet etiam, imo praestat ut Episcopus eas eroget « in favorem Sacerdotum pauperum, non exclusis Sacrum iterantibus, quatenus subsidio indigeant. »⁴⁾ — In casu autem eleemosyna tota Episcopo mittenda est.⁵⁾

S. C. Conc. die 13 Nov. 1937 edixit non expedire concessionem indulti apostolici ut parocho, in propria Ecclesia Missam iteranti, tribuatur aliquod emolumentum ex redditibus legatorum; nec sustineri posse dispositionem dioecesanam vi cuius sacerdotes, Missam binatam applicantes, eleemosynam tantummodo dioecesanam Curiae tradere teneantur.⁶⁾

IV. *Nunquam licet Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata.* (can. 825. 1º.) Inde non licet Missam applicare in genere ad intentionem illius qui primus applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa iam applicata; insuper eiusmodi applicatio non modo erit illicita, sed etiam invalida, quia talis persona nunc non est determinata et proin applicatio determinatione caret.

Nec licet, si praevideat sacerdos postulatum iri Missas pro aliqua causa iam existente et cognita, nunc iam pro tali causa Missas applicare et dein stipendium oblatum pro ipsis retinere; nisi intercedat offerentis ratihabitio expressa vel etiam, uti videtur, legitimate praesumpta. (n. 337.)

V. *A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur.* (can. 827.) *Negotiationem vel mercaturam agit cum stipendiis Missarum qui colligit vel acceptat stipendia ut, transmittens Missas celebrandas minori stipendio, lucrum percipiat; vel qui ope stipendio-*

¹⁾ S. C. C. 14 Sept. 1878. (*A. S. S. XI. p. 283.*)

²⁾ Decr. S. C. 15 Oct. 1915. *ad 1.* (*A. A. S. 1915. p. 479.*)

³⁾ Confirmatur resp. Praes. Com. Cod. 13 Dec. 1923. (*A. A. S. 1924. p. 116.*)

⁴⁾ Decr. S. C. C. 7 Aug. 1909. (*A. A. S. I. p 767-771.*) Cfr. praesertim relationem Consultoris decisioni huic praemissam.

⁵⁾ S. C. C. 27 Febr. 1905. *N. K. St. 1909. p 134.*

⁶⁾ Cfr. *A. A. S. 1938. p. 101 seqq.*

rum eo de fine collectorum vel acceptorum, commercium aliquod agit, puta librorum, sacrorum utensilium etc., merces scilicet pro stipendio tradendo, ut ex stipendiis differentia vel etiam ex sola mercium venditione lucrum percipiat.

Haec, et insimul *cooperatio ad eadem*, imo et ea omnia quae horum speciem i. e. *apparentiam vel fundatam suspicionem gerunt*, hoc canone prohibentur.

Hac igitur generali lege renovantur quoad substantiam diversae speciales prohibitiones, in decr. et const. anterioribus S. Sedis, praesertim in decr. S. C. C. *Ut debita* 11 Maii 1904. n. 8-10 (*A. S. S. vol. 36. p. 672 sequ.*) contentae, et latae propter illicitam negotiationem aut mercaturam cum stipendiis, vel horum periculum aut speciem, vel cooperationem ad illa in actionibus prohibitis contenta.¹⁾

3. *Conditiones liciti stipendii.*

Ut Missae ex stipendio celebrandae licite accipientur, requiritur ut praescripta iuris serventur: 1^o circa numerum Missarum; 2^o circa quantitatem stipendii.

a. *De numero Missarum.*

204. — Principia. I. *Nemini licet tot Missarum onera suspicere quibus intra legitimum tempus ad normam can. 834. § 1 et 2 satisfacere nequeat.* Est regula naturalis iustitiae. Cfr. infra n. 209.

II. Nemini licet tot Missarum onera PER SE celebrandarum recipere, quibus iuxta prudentem praevisionem intra annum satisfacere nequeat. Ita ex can. 835. Haec regula etiam tum valet ubi tempus celebrationis ab oblatore expresse arbitrio celebrantis relinquitur. Cfr. can. 834. § 3. Limitatur autem prohibitio ad Missas *per se* celebrandas; non ergo prohibetur plures Missas per alios celebrandas recipere, imo in can. 836 hoc licere aperte supponitur. (cfr. infra Not.)

Quid si is, qui stipendia offert, ipse voluntatem suam manifestet ut plures Missae a sacerdote celebrandae accipientur quam infra annum legere possit? Tunc sacerdos ea suscipere posse videtur. Sic enim expresse statutum erat in decreto 11 Maii 1904 «*Ut debita*»; porro in Codice illud omissum videtur ut aliquid per se patens; uti enim ex can. 841. § 2 claret, intentio legislatoris non fuit libertatem auferre fidelibus longius tempus concedendi. Cfr. *N. K. St.* 1918. p. 4; J. Creusen in *Ius Pont.* 1925. p. 100.

Notanda. 1^o Licet accipere, imo et quaerere et accipere, plura onera Missarum quam quis per seipsum satisfacere potest intra legitimum tempus vel respective intra annum, cum intentione ea transmittendi secundum normas iuris ad alios qui debito tempore illis satisfacent, nisi tamen transmissioni obstet expressa vel praesumenda oblatoris voluntas.

2^o Sicut non licet tot Missas *per se* celebrandas suscipere, quibus quis intra

¹⁾ Cfr. etiam monitum S. C. pro Ecccl. Orient. 20 Iulii 1937 de non faciendis collectis stipendiis Missarum a clero orientali in territorio latino sine rescripto recenti S. C. (*A. A. S. 1937. p. 342.* Comment. in *Apoll.* 1938. p. 9).

legitimum tempus satisfacere nequirit, sic nec licet tot Missas ex oblatorum voluntate determinato quodam loco legendas suscipere, quibus *ibidem* debito tempore satisfieri nequit. Hinc praescribit c. 836: «in ecclesiis, in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita afflunt, ut omnes Missae celebrari *ibidem* debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel *ibidem*, cum commode poterit, vel alibi ».

b. *De quantitate stipendii.*

205. — *Praenotandum.* Conc. Trid. sess. 22. in *Decreto de observ. et evitand.* iniunxit Episcopis ut de medio tollant quidquid avaritia contra reverentiam Sacrificii induxit, utque imprimis «cuiusvis generis mercedium conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque huiusmodi quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.» Ad hos abusus praecavendos a iure statuitur norma generalis pro iusto stipendio.

206. — *Principium.* *Iustum Missarum stipendium manuale, quo maius a nullo sacerdote iuste exigi potest, illud est quod ab Ordinario loci taxatum, vel, tali taxatione deficiente, loci consuetudine receptum est.* Ita ex can. 831. § 1 et 2.

Ratio autem est, quia non debet hoc negotium cuiusque voluntati committi, ut pro arbitrio possit stipendium augere vel minuere; id enim repugnat rationi iustitiae, occasionemque praeverberet scandalis et sacrilegiis; ergo oportet ut aliqua auctoritate publica definitum sit. (n. 319.)

Dictum est 1º: *quo maius exigi non potest:* non enim prohibetur quominus fideles maiora dent stipendia, si velint, dummodo spontanee id faciant; ita ex can. 832: «Sacerdoti fas est oblatam ultro maiorem stipem pro Missae applicatione accipere». Etiam *minori* stipendio contentus esse potest, ut idem canon statuit, «nisi», ut additur, «loci Ordinarius prohibuerit». Hic enim illud prohibere potest, quia aliquando illa consuetae eleemosynae remissio noxia est aliis sacerdotibus. (n. 320.) Imo, valde opportunum erit si Ordinarii locorum sacerdotibus utriusque cleri minorem eleemosyna dioecesana vel in dioecesi vigente stipem pro Missarum applicatione accipere prohibeant. Et ne hac de causa qui tenuioris sunt conditionis prohibeantur Missas applicandas tradere, locorum Ordinarii praescribere current ut in unaquaque ecclesia, etiam religiosa seu regulari, collocetur capsula aliqua ad oblationes, cuiusvis sint valoris, colligendas pro Missis applicandis, et, ex pecunia ita collecta, tot applicentur Missae ad mentem oblatorum, quot satis sint ad rationem eleemosynae in dioecesi vigentis.¹⁾

Dictum est 2º: *a nullo sacerdote exigi potest;* etenim «etiam religiosi, licet exempti, circa stipendium manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini». (can. 831. § 3.)

¹⁾ Ita ex decreto quodam S. Sedis 1 Augusti 1941 ad Ordinarios sive locorum sive religiosorum etiam exemptorum.

Dictum est 3º: *ab Ordinario loci taxatum*; quod, quantum fieri potest, fiat per decretum in dioecesana Synodo latum. (can. 831. § 1.) Porro quantitas stipendii taxanda est, habito respectu ad locorum et temporum circumstantias; praesertim ad caritatem vel vilitatem victus. Advertendum tamen, stipendium non debere tantum esse ut integrum sustentationem sacerdoti eo die, quo celebrat, suppeditet; etenim actio sacrificandi nonnisi parvam diei partem exposcit, unde non est cur sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo, pro quo Sacrificium offert. (n. 319. Bened. XIV *De Sacr. Miss. sect. 2.* n. 118.)

207. — Quaestiones. QUAER. 1º *Quid faciendum, si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans earum numerum.*

Resp. Tunc numerus Missarum supputandus est secundum eleemosynam loci in quo *oblator* morabatur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat. (can. 830.) Sic v. g. si quis iam pluries Missas celebrandas tradiderit, standum est stipendio quod dare consuevit; item si benefactor pecuniam dederit, saepe legitime pinguius stipendium praesumi poterit.

QUAER. 2º *Quomodo licitum sit pacisci de Missarum stipendio.*

Resp. Licitum est, si pactum sit de iusto stipendio secundum taxationem vel consuetudinem. Non obstant Canones, quippe qui prohibeant dumtaxat pacta illicita, seu exactiones immodicas, quae avaritiam sapiunt. Caeterum in huiusmodi pactionibus, quantum fieri potest, scandalum caveri debet. (n. 320. *dub. 4. Lib. 3. n. 55.*)

Neque illicitum videtur, si sacerdos pinguioribus stipendiis ordinarie pro visus respondeat petenti: «Non possum ipsem stipendia tua exonerare, nisi tantum tribuas, quantum alii tribuerunt». Hoc pacto enim petentis libertatem non laedit.

QUAER. 3º *An liceat quidquam supra taxatum exigere pro onere extrinseco.*

Resp. Affirm., pro onere temporali, v. g. pro Missa celebranda in cantu, in dissito loco, tarda hora, stato tempore vel loco, per novem dies continuos. (*Lib. 3. n. 55.*)

Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtenu privilegii, maior exigi Missae eleemosyna. (can. 918. § 2.)

4. *De officio stipendium acceptantis.*

208. — Obligatio iustitiae celebrandi et applicandi Missam. I. *Ex unoquoque stipendio dato et accepto ORITUR OBLIGATIO IUSTITIAE celebrandi et applicandi Missam iuxta intentionem eius, qui stipendium dedit.* Ratio est, quia ex voluntate Ecclesiae intervenit pactum onerosum, quo sub ea conditione datur et recipitur.

Unde 1º «tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint» (can. 828); nec licet sacerdoti, qui scienter exigua stipendia acceptavit, proprio marte Missarum numerum minuere vel vi quadam morali offerentes ad reductionem istius numeri inducere; pactum enim con-

clusum non potest ab uno contrahentium mutari. — Condonatio et reductio Missarum unice Sedi Apostolicae reservatur. (can. 1517. § 2 et can. 1551.)

2º «*licet sine culpa illius, qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat*» (can. 829); per traditionem enim stipendii obligatio iustitiae semel orta est, nec potest perditio stipendii hanc immutare; res namque perit domino, stipendum autem in dominium sacerdotis transivit.¹⁾ Sententia igitur quorundam theologorum, contrarium docentium, canone 829 semota est.

II. Obligatio celebrandi et applicandi Missam, pro qua quis stipendium accepit, NATURA SUA GRAVIS EST. Ita hodie communiter. Olim plures negabant, si stipendium exiguum esset; sed in hac re gravitas materiae non est sumenda ex quantitate stipendii, sed ex fructu Missae, quo proximus iniuste privatur, ac cuius privatione grave damnum ei infertur. (n. 317. qu. 3. H. A. n. 63.) A gravi culpa tamen forte excusandus est sacerdos, qui obligatur multas Missas ad eamdem intentionem celebrare, unam alteramve omitteret; tunc enim abesse videtur gravis repugnantia datoris stipendiorum. Ita et Lehmkulil. II. n. 269.

III. Circumstantiae servandaes. Praesumitur oblatorem petuisse solam Missae applicationem: si tamen oblator EXPRESSE aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet. (can. 833.) Ratio est quia obligatio ex contractu pendet; quas igitur circumstantias celebrans tacite, acceptando stipendium, admisit, eas observare tenetur. — Porro obligatio haec magis vel minus gravis est prout oblator magis vel minus graviter hanc circumstantiam intenderit.

Unde: 1º circumstantia QUALITATIS Missae sub levi tantum obligat nisi constet oblatorem qualitatem Missae ob gravem causam specialiter intendisse. Ratio est quia per se substantiam contractus non attingit.

Ordinarie igitur veniale tantum peccatum erit, loco Missae Votiyae vel Requiem petitiae dicere Missam conformem Officio diei, vel Missam de Sanctis applicare pro defuncto, imo etiam Missam Requiem offerre pro vivo. Hoc tamen nullatenus convenit. Quodsi iusta de causa sacerdos speciem Missae mutavit, v. g. ad servandas Rubricas quae tali die talem Missam non permittunt, nullum peccatum erit. Nihilominus in exemplo allato consultius erit ut, si fieri possit, alia die satisfaciat per Missam petitam.²⁾

2º Circumstantia LOCI si graviter intenta est, uti v. g. fieri potest, si petitur Missa dicenda in altari ubi imago miraculosa asservatur, in Sacra Aede Lauretana etc. sub gravi observanda est. Ratio quia tunc redundat in substantiam contractus. Unde in hoc casu, si sacerdos pacto non stetit,

¹⁾ Cfr. etiam resp. S. C. C. 9 Iulii 1921. inculcans hanc obligationem. (A. A. S. 1921. p. 511.) Vide pariter can. 1509. 5º vi cuius eleemosynae et onera Missarum praescriptioni obnoxia non sunt.

²⁾ S. R. C. 13 Iunii 1899. ad 4. n. 4031. Cir. etiam S. R. C. 3 Mart. 1761. ad 7. n. 2461.

altera Missa in loco debito dicenda est vel restituendum stipendium. Si autem ita non graviter intenta est, de mutatione loci conventi iudicandum est ut de mutatione qualitatis.

209. — **IV. Tempus debitum.** *Oneribus Missarum susceptis tenetur sacerdos satisfacere TEMPORE DEBITO, i. e. vel tempore explicite vel implicite pacto, vel, si tempus pactum non fuerit, intra modicum tempus; nisi oblator tempus celebrationis expresse arbitrio sacerdotis reliquerit.* Ita ex can. 834. Porro dilatio ultra tempus explicite vel implicite pactum grave peccatum constituet, si tempus ad substantiam pertinet. Si vero tempus pactum quidem est, sed non ad substantiam pertinet, vel pactum non est nec tamen arbitrio sacerdotis expresse relictum, *dilatio diuturna* ultra tempus legitimum per se grave peccatum erit, tum quia graviter delinquit quisquis contra voluntatem creditoris diu differt solvere debita, tum ob non leve damnum, quod illis infertur, pro quibus sacrificare debet.

TEMPUS DEBITUM IN SPECIE hoc est: 1º Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore *expresse praescriptum* est, eo omnino tempore sunt celebrandae. (can. 834. § 1.) De hac obligatione quantum ad Missas fundatas cfr. infra n. 219.

2º Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione *expresse praescriperit*, *Missae pro urgente causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae.* (can. 834. § 2. n. 1.)

Unde si Missa petita fuerit pro aliqua urgente necessitate, puta pro felici partu, pro evadendo periculo, pro lite vincenda, etc., sive tempus *expresse praescriptum* sit sive non, graviter delinquit sacerdos, si intra tempus impetracioni aptum illam non celebrat; illudit enim postulantis intentionem. Qui tempore utili non celebravit, tenetur stipendium restituere (sub gravi vel sub levi iuxta quantitatem stipendi), etiamsi postea celebraverit. (n. 316.)

3º Si tempus nec explicite nec implicite pactum est (ut sub 1º et 2º), nec tamen *expresse arbitrio sacerdotis relictum*, *Missae celebrandae sunt intra modicum tempus* pro maiore vel minore Missarum numero. (can. cit. § 2. 2º.)

Quodnam sit illud modicum tempus, a Codice non determinatur. Secundum decretum «*Ut debita*» utile tempus erat mensis pro Missa una, semestre pro centum Missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum Missarum. Haec autem praescripta Codice non renovantur ideoque sublata sunt. Possunt tamen inservire tamquam regula directiva in dijudicando tempore debito.

Insuper ex *praesumpta offerentium voluntate, et charitatis causa, aequus saltem aliquis numerus ex Missis pro recenter defunctis quantocius celebrandus esset.*

4º *Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit eas celebpare; firma tamen prohibitione recipiendi plura onera Missarum per se celebrandarum quam quis intra annum satisfacere possit.* (can. cit. § 3.)

NOTANDA. 1º Si ille qui Missas per alios celebrandas habet, eas distribuit, tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die, quo sacerdos *celebratus* easdem receperit, nisi aliud constet (can. 837); i. e., nisi determinato tempore sint legenda (ut sunt Missae sub 1º et 2º) vel sacerdos Missas tradens aliquam conditionem adiecerit.

Et quidem tempus legitimum mensurandum est secundum numerum Missarum ab ipsis acceptum, tamquam distribuens esset Missarum oblator, etsi forte quis plura simul onera accipiat a diversis oblata, vel ex alia parte plura forte onera Missarum ab uno oblata, pluribus distribuantur. (cfr. S. C. C. 27 Febr. 1905 ad 8.)

2º Omnes, quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati, post annum Missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradere tenentur. (Ofr. can. 841, § 1.)¹⁾ Ordinarii curent pro viribus, ut hae Missae quamprimum celebrentur (can. 844. § 1); pro iis quibus distribuantur, tempus legitimum incipit a die, qua illas ab Ordinario accipiunt (S. C. C. 27 Febr. 1905. ad 7.)

3º Cum Missae traduntur celebranda Ordinariis locorum et Superioribus religiosis, qui per proprios subditos aliasve oneribus Missarum satisfaciunt, facile praesumendum est eum qui dat eleemosynam pro multis Missis, hoc facere ea intentione ut sic citius legantur. (*n.* 317. *qu.* 2.) Quapropter can. 844 monentur praedicti curare pro viribus, ut Missae, ab ipsis acceptae, quamprimum celebrentur, puta quamprimum distribuendo eas pluribus qui tempore debito iis satisfaciant.

210. — Quaestiones. I. De Missa in Altari privilegiato. QUAER. An sacerdos obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuneto, debeat restituere si in alio altari celebret.

Resp. Sacerdos, qui ad altare privilegiatum celebrare debet, non potest satisfacere obligationi suae applicando aliam indulgentiam plenariam, uti rescriptsit S. C. Indulg. 2 Maii 1852 et 24 Iul. 1885.²⁾ Verumtamen, post factum, si quis bona fide errorem commiserit, ex quadam epikeia non videtur teneri ad restitutionem stipendi, sed ad applicandam illi defuncto aliam indulgentiam plenariam. Cfr. infra *n.* 1137. *qu.* 1. (*n.* 329. II. A. *n.* 75.)

Notandum superest: 1º quod sacerdos privilegio personali altaris auctus satisfacit eo utendo, ut declaravit S. C. Ind. 15 Mart. 1852; 2º quod ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati non iam opus est Missam Requiem vel de Feria cum oratione pro defunctis celebrare.³⁾

II. De Missis Gregorianis. QUAER. In quo consistat et quatenus obliget circumstantia MISSARUM GREGORIANARUM.

Resp. Consistit haec circumstantia in eo ut sine interruptione 30 diebus continuis 30 Missae pro aliquo defuncto celebrentur. Non autem opus est ut ab eodem sacerdote celebrentur, modo sit ininterrupta series; a feria V autem in Coena Domini usque ad Pascha exclusive interrumpi potest. Istis Missis Gregorianis hodiecum nulla indulgentia plenaria annexa est, sed *pie creditur* animas

¹⁾ Quomodo illud post annum sit intelligendum cfr. infra *n.* 211. III.

²⁾ Acta S. Sed. vol. 18. p. 94.

³⁾ S. Off. 19 Febr. 1913. (A. A. S. 1913. p. 122.)

pro quibus applicantur specialiter iis adiuvari,¹⁾ ob intercessionem scil. B. Gregorii Magni.

Circumstantia Missarum Gregorianarum sat graviter obligat; et qai *voluntarie* tricenarium interrupit, ad repetendam seriem tenetur, quia quid principale in contractu omisit. Si autem *involuntarie* interrupit, v. g. si celebrans subito aegrotet et nullus alius sacerdos praesto sit, probabilius ad repetitionem seriei non tenetur; sed sufficit ut Missa quae non fuit lecta, postea dicatur. Suadetur tamen ut sacerdos animae defuncti indulgentiam plenariam applicet vel Missam omissam in serie in altari privilegiato dicat. Cfr. Marc. n. 1622. Noldin. n. 329.

5. *De transmissione Missarum.*

211. — **Praenotandum.** Onera Missarum, quae quis suscepit, non per seipsum satisfacere tenetur sed potest ea ad alios transmittere, nisi oblato expresse hanc conditionem, ut ipse suscipiens ea celebret, adiecerit. Praeterea potest quis unice onere distribuendi Missas teneri, puta si quis quasi mandatarius pro aliis Missas suscepit, vel si sit administrator causae piae vel executor testamenti. Demum est specialis obligatio transmittendi onera Missarum quibus nondum fuerit satisfactum sub exitum cuiuslibet anni.

Transmissio Missarum in genere. I. *Qui Missas per alios celebrandas habet, eas QUAM PRIMUM distribuat;* firma lege infra sub III, quando servanda occurrit. Ita ex can. 837. Similiter Ordinariis locorum et Superioribus religiosis, qui Missas per subditos aliasve celebrandas habent, a can. 844. § 1. imponitur pro viribus curare, ut Missae illae quamprimum celebrentur.

II. *Qui habent Missarum numerum, de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas tribuere, praeterquam proprio Ordinario vel S. Sedi, SACERDOTIBUS quoque SIBI ACCEPTIS, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos.* Ita ex can. 838.

Dictum est: 1º *de quibus sibi liceat libere disponere.* Unde haec iuris dispositio non valet: a) quoad Missas nondum lectas sub exitum cuiuslibet anni, quae proprio Ordinario transmittenda sunt; b) quoad Missas, quibus ab oblato aliqua determinatio quoad tempus vel locum adnexa est, de quibus disponere non licet nisi intra limites talis determinationis.

2º *dummodo probe sibi constet* etc. Hinc dispositio decreti S. C. C. 22 Maii 1907,²⁾ qua sacerdotibus extra dioecesim commorantibus stipendia transmitti non possint nisi per eorum Ordinarium aut ipso saltem auditio atque annuente, novo Codice sublata est. Canon enim 838 aperte supponit tali licentia opus non esse; quum in genere dicat Missas tribui posse sacerdotibus omni exceptione maioribus vel testimonio proprii Ordinarii (ergo etiam alienae dioecesis, modo sit proprius acceptantis) commendatos.³⁾ — Item vim amisisse videntur disposi-

¹⁾ S. C. Ind. 15 Mart. 1884. (*A. S. S. XVI. p. 509.*) Cfr. et S. C. Ind. 13 Martii 1884 (*A. S. S. XXI. p. 256*) ubi dicitur *non constare de indulgentia; insuper deest in novissima collectione precum et piorum operum indulgentias ditatorum a S. Poent. anno 1938 publicata.*

²⁾ *A. S. S. XL. p. 344.*

³⁾ Nec Episcopi, citra speciale indultum, statuto synodali prohibere possunt quominus Sacerdotes sibi subiecti Missas, de quibus libere disponere possunt, sine eorum consensu extra dioecesis ambitum ce-

tiones eiusdem et aliorum decretorum¹⁾ sive S. C. C. sive S. C. de Prop. Fide, prohibentes directam transmissionem Missarum ad sacerdotes orientales; nullibi enim haec decreta explicite aut implicite repetuntur, ideoque secundum can. 6. 6º abrogata censenda sunt.

Nota. Hoc canone implicite renovatur prohibitio facta in decreto « *Ut debita* » eas tradendi « bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus etiam si religiosi viri sint, neconon venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta sint ». Secundum can. 838 enim non licet eas tradere nisi *sacerdotibus*, iisque omni exceptione maioribus; de quibus igitur timendum non est ne aliquomodo negotiationi intentionum, canone 827 tam stricte prohibitae, indulgeant.

III. DEBENT transmitti et quidem proprio ORDINARIO: a) MISSAE AD INSTAR MANUALIUM, quae in fine anni, in quo secundum fundationis praescriptum celebrandae essent, celebratae non sunt; b) MISSAE MANUALES si post annum a die suscepti oneris celebratae non sunt, nisi tamen oblato stipendii aliud velit. Ita ex can. 841. § 1. Haec obligatio tenet omnes et singulos administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligatos, sive ecclesiastici sunt sive laici. (can. cit.) Mittendae sunt ad *proprium* Ordinarium, i. e. pro religiosis clericalibus exemptis ad Superiorem maiorem, pro omnibus aliis ad Ordinarium loci.

IV. Qui Missas a fidelibus receptas aut quoquo modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint OBLIGATIONE TENENTUR, usque dum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint. (can. 839.) Haec ergo in posterum valent sive Missae traduntur episcopo, sive directe aliis sacerdotibus. Mitigatus est igitur rigor decreti *Ut debita*, quod pro Missis, non S. Sedi vel Episcopo traditis, testimonium *celebrationis* requirerabat ut transmittentes ab obligatione liberarentur.

V. Tempus legittimum pro celebratione Missarum ab alio transmissarum incipit a die qua Sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet. Ita ex can. 837. Quod de omnibus Missis transmissis valere videtur, etiam de iis quas quis ab Ordinario receperit, nisi ipse aliquam conditionem adiecerit; cfr. supra n. 209. notanda 1º et 2.

212. — Quantitas stipendii transmittendi. Quoad quantitatem stipendii transferendi distinguendum est inter Missas manuales et ad instar manualium. Etenim:

I. Qui Missarum stipes MANUALES ad alios transmittit, debet acceptas *integre* transmittere, nisi aut oblato expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam diocesanam datum fuisse intuitu personae. (can. 840. § 1.)

lebrandas transmittant. Quum vero agitur de Missis fundatis, vel ad instar manualium, vel manualibus datis intuitu causae piae, legitime id prohibet Ordinarius. Ita S. C. C. 19 Febr. 1921 (*A. A. S.* 1921. p. 228.) Cfr. *N. K. St.* 1921. p. 161. Cfr. etiam *N. K. St.* 1927. p. 37, ubi speciale indultum, Archiep. Ultraj. concessum.

¹⁾ Cfr. *A. S. S. l. c. et XLI. p. 145 et 640.*

Decretum *Ut debita praescripsit stipendia tradenda esse «ex integro et in specie sua»:* Codex ultima haec verba omisit; nihilominus etiamnunc prohibitum erit quod decretum istud hisce verbis praesertim prohibere voluit: «libros, sacra utensilia vel quaslibet res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemericibus inire ope Missarum... quoties id in habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat»; haec enim semper mercaturam cum stipendiis Missarum continent proindeque secundum can. 817 nullo modo permittuntur.

Excipit canon duos casus in quibus aliquid retinere licet: *a)* si oblator expresse permittat et *b)* si solito pinguis stipendum datum fuerit, non intuitu Sacrificii, verum intuitu personae, puta titulo amicitiae, paupertatis, gratitudinis, etc. Neque necesse est ut largitor eleemosynae vel legator Missarum hunc titulum expresserit, sed sufficit quod ex circumstantiis moraliter de eo constet. Quibus casibus addenda videntur: *c)* si sacerdos, cui committitur celebratio, non rogatus, sed *motu proprio* remittit partem stipendi; sicut enim potest totum stipendum liberaliter remittere, sic et partem eius. Illicitum vero esset, si alter *rogatus* remitteret vel monitus *consentiret*, uti declarat Bened. XIV Constit. *Quanta cura* 30 Iunii 1741. *d)* Si *reditus stolaे* Missis connexi sunt; tales sunt Missae exsequiales, nuptiales, etc. quarum celebratio Parochis competit *ex officio parochiali*. Ita S. C. C. 25 Iulii 1874. in Colon. *e)* Si quis gaudet *indulto apostolico*, quo ei permittitur. In hisce casibus sufficit Sacerdoti, cui celebratio committitur, stipendum ordinarium largiri. Ita Decret. S. C. C. 11 Maii 1904, n. 11.

II. In Missis AD INSTAR MANUALIUM, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus, et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii vel causae piae. (can. 840. § 2.) Si autem haec conditio non obtinet, Missae ad instar manualium trasmitti debent uti manuales.

Porro pinguem eleemosynam locum pro parte tenere dotis beneficii vel causae piae deduci potest: *a)* ex ipsis fundationis tabulis quando expresse testantur integrum fructum annum fundationis tamquam stipendum designatum esse; *b)* ex indole beneficii cui fundatio annexa est; si nempe reditus beneficii omnes vel pro maxima parte hisce stipendiis constant; *c)* ex consuetudine, quando pinguiora stipendia semper tamquam pars reddituum habita sunt; et *d)* ex declaratione authentica Ordinarii.¹⁾

213. — Quaestiones. QUAER. 1^o *An ille qui illicite retinuit partem stipendi iustitiam laedat et teneatur ad restitutionem.*

Resp. Affirm.; quia: 1^o ex propositione 9 damnata ab Alex. VII deducitur retentorem partis stipendi non posse satisfacere per alium; satisfactio autem hic non solum respicit honestatem actus, verum etiam iustitiam; qui autem non satisfacit obligationi iustitiae, ad restituendum te-

¹⁾ N. K. St. 1918. p. 9

netur. 2º Bened. XIV in Const. *Quanta cura* 30 Iunii 1741 collectores stipendiorum qui partem stipendi sibi retinent a furti crimine haud immunes et ad restitutionem obligatos declaravit. 3º Egit contra voluntatem datoris; hic enim voluit, non solum ut Missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio; non enim gratuito erogare quidquam ei voluit qui non celebrat.

Cui autem restitutio fieri debeat? Communius et probabilius censem eam faciendam esse celebranti; quia, translato in eum onere, etiam integrum stipendum iuxta voluntatem largitoris ei transferendum est. (n. 322.)

QUAER. 2º *An sustineri possit consuetudo tribuendi vicariis, in domo parochi degentibus, communis stipendii excessum in victu et servitio.*

Resp. Affirm., uti post decretum *Ut debita pluries S. C. C. declaravit.*¹⁾ Item sustineri potest consuetudo, ut vicarii semper ad intentionem parochi celebrent qui eis praestet victimum et servitium, dum ex aerario ecclesiae vel a parochio determinatam obtinent pensionem.²⁾ Novus Codex hac in re difficultatem non praebet; nulla enim in istis consuetudinibus est species mercatura vel negotiationis et plenum stipendum, licet alia specie, vicariis datur.

QUAER. 3º *An possint commutari Missae sine stipendiorum INAEQUALIUM commutatione.*

Resp. Dist. Si quis faciat rogatu alterius sacerdotis, vel in alterius commodum, potest retinere pinguis suum stipendum; quia tunc abest omnis turpis quaestus, et adesse censemur condonatio.

Si fiat principaliter propter maius stipendum, turpem quaestum continere videtur; attamen gravis peccati damnandum non est et paupertas forte excusare potest. (n. 322. dub. 4. Vindic. Alf. part. 4. qu. 2.)

QUAER. 4º *An administratores ecclesiarum possint aliquam eleemosynarum portionem retinere pro expensis altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiarum, etc.*

Resp. Negat., nisi ecclesiae inopia premantur. Ita ex Const. Innoc. XII *Nuper v. Ad VII.* Si qua autem ecclesia paupertate laboret, potest Ordinarius permittere, ut a sacerdotibus qui in proprium commodum inibi celebrant, propter utensilia caeteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur, quae, si rector ecclesiae celebranti stipendum procuret, a stipendio detrahi potest. Solius Episcopi est talem stipem definire et nemini, nec reliquias exemptis, licet ea maiorem exigere. Ita ex can. 1303. § 2 et 3. (n. 322. dub. 5.)

Numquam vero licet, nisi ex speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur. Ita ex decr. S. O. C. *Ut debita*, n. 11.

¹⁾ Ita S. C. C. 25 Febr. 1905 in Bredan. *ad 1.* (*A. S. S. XXXVIII. p. 15*); 26 Febr. 1910 in Luxemb. (*A. A. S. 1910. p. 203.*) Cfr. *N. K. St. l. c. p. 8.*

²⁾ Ita S. C. C. in Bredan. *ad. 3.* (*A. S. S. l. c.*); item 10 Ian 1920 in Montevid. (*A. A. S. 1920. p. 70.*)

QUAER. 5º *An liceat aliquid retinere pro expensis administrationis et translationis.*

Resp. Affirm., sed id solum, quod stricte pro iis expensis necessarium est. Ita S. C. C. in Bredan., 25 Febr. 1905. *Mens est.*

6. Praescriptiones Iuris ad praecavendos abusus.

214. — **Officium vigilandi.** Ius et officium advigilandi ut enera Missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium, in religiosorum ecclesias ad eorum Superiores. (can. 842.)

215. — **Cura pro celebratione Missarum.** I. *Omnes sacerdotes*, sive saeculares sive religiosi, debent accurate adnotare, quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit. (can. 844. § 2.)

II. *Rectores ecclesiarum* aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum in quibus eleemosynae Missarum recipi solent, *peculiarem* habeant *librum* in quo accurate notent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem. (can. 843. § 1.) — Ordinarii tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros sive per se sive per alios recognoscendi. (can. 843. § 2.)

III. *Ordinarii quoque locorum et Superiores religiosi* qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committunt, quas acceperint Missas cum suis eleemosynis cito in librum per ordinem referant currentque pro viribus ut quamprimum celebrentur. (can. 844. § 1.)

216. — **Poenae.** Poenae latae sententiae, olim contra transgressores legum circa stipendia statutae, per novum Codicem abrogatae sunt. In can. 2324 tantum habetur quod delinquentes contra can. 827. 828. et 841. § 1 «ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione.»

Punet. II. Missae fundatae.

217. — **Notio.** Nomine piarum fundationum hic intelliguntur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex redditibus annuis aliquas Missas celebrandi, adiectis interdum aliis oneribus a sacerdote excludendis. (can. 1544. § 1.) Pia fundatio etiam in beneficium erigi potest.

Ex huiusmodi fundatione sine dubio oritur obligatio ex iustitia satisfaciendi institutioni fundatoris; fundatio enim, legitime acceptata, naturaliter induit contractus synallagmatiei *do ut facias*. (can. 1544.)

218. — **Servanda in fundato onere.** I. Fundationes, etiam viva voce factae, *scripto* consignentur. (can. 1548. § 1.) Alterum autem tabularum

exemplar in curiae archivio, alterum in archivio personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur. (ibid. § 2.)

II. Ut huiusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur *consensus Ordinarii loci, in scriptis datus.* (can. 1546. § 1.)

Hic autem consensum praebere non debet antequam legitime compererit personam morale tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis iam susceptis satisfacere posse, maximeque cavere debet ut redditus omnino respondeant oneribus adjunctis secundum cuiusque dioecesis morem. (can. 1546. § 1.) Eius quoque est normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de eius fructibus rite distribuendis. (can. 1545). Patronus autem ecclesiae si quis est, in acceptatione, constitutione et administratione fundationis nullum ius habet. (can. 1546. § 2.)

III. Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto, ab eodem Ordinario designando, deponi debent ad eum finem, ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii arbitrium, auditis et iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris. (can. 1547.)

IV. In qualibet Ecclesia *tabella conficienda* est onerum ex piis fundationibus incumbentium. Haec autem *tabella apud rectorem* in loco tuto conservetur. (can. 1549. § 1.) Statuit insuper can. 1549. § 2, ut itidem duo habeantur libri, in quorum altero Missae manuales (can. 843. § 1), in altero onera perpetua et temporaria eorumque implementum et elemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur. Hi etiam libri apud rectorem serventur.

Nota. Si agatur de ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum *exemptorum*, omnia supra dicta servanda sunt, hac tamen ratione ut iura et officia, quae ibi statuuntur de Ordinario loci, *exclusive competant Superiori maiori.* (can. 1550.) At ubi agitur de ecclesiis religiosorum *non-exemptorum*, dicta iura *Ordinario loci* reservata manent, etiamsi paroecia *pleno iure* domui religiosae unita sit. Ita etiam ex resp. C. C. Int. 25 Iul. 1926 ad IV. (A. A. S. 1926. p. 393.)

219. — Servanda in adimplectione oneris. I. Cui ex fundatione obligatio celebrandi incumbit, is sub gravi tenetur omnes Missas debitas celebrare et applicare ad intentionem fundatoris, si tale onus appositum est. Ratio quia est obligatio iustitiae idque in materia gravi. Non autem tenetur ipsem et eas offerre, nisi fundator id expresse praescripserit. (n. 330.)

Si fundator de applicatione Missarum nihil statuerit, praesumendum est appositum esse onus applicandi Missas animae fundatoris. Ita S. C. O. 18 Aug. 1668, 26 Mart. 1718. — Secus vero, si fundator iusserit certum Missarum numerum *sibi* applicare, alias vero dumtaxat iusserit *celebrare*; tunc praesumitur harum applicationem liberam reliquisse. (n. 324. Benedictus XIV. *De Sacrif. Miss. sect. 2. n. 62.*)

II. Missae celebrari debent *tempore et loco* designato a fundatore. Haec autem obligatio gravis est, si fundator illa designaverit ob gravem causam,

puta ob memoriam, ob commodum familiae aut populi, ob specialem cultum Sancti, et similia. Si vero nullam habuerit gravem causam, vel si haec cessaverit, puta si familia extincta est vel alibi moratur, non erit obligatio gravis; imo nulla, si sacerdos haec compenset celebrando in altari privilegiato.

Dicta ita intellige, ut sacerdos tum solum peccaret mortaliter, cum locum vel tempus designatum mutaret saepius, sine necessitate, et sine dispensatione. Dico 1º *saepius*; nam peccat tantum venialiter, si id faciat raro, puta semel vel bis in mense, aut si mutet tantum altare, non ecclesiam. Dico 2º *sine necessitate*; non enim peccat, si subsit necessitas, v. g. si alibi celebrat, quia ecclesia restauratur, quia egressus e sacristia videt altare ab alio occupatum. Dico 3º *sine dispensatione*; ad quam obtainendam adeunda est Sedes Apostolica, si tempus et locus ob gravem causam designata sunt; sin aliter, Episcopus eam ex rationabili causa dare potest. (n. 329. H. A. n. 75.)

220. — Quaestiones. QUAER. 1º *An Sacerdos, qui ob fundationem tenetur quotidie celebrare, possit celebrationem Missae interdum omittere.*

Resp. Dist. Ii, qui tenentur *ipsimet* celebrare, possunt ex legitima causa interdum Missam omittere; nequeunt tamen eo die, quo omittunt Sacrificium pro fundatore, Missam pro alio celebrare multoque minus stipendum accipere. Ita S. C. C. 18 Sept. 1683.

Ii vero, qui non tenentur *ipsimet* celebrare, debent, si non celebrant, curare ut per alium sacerdotem Missa celebretur. (n. 332. Bened. XIV loc. cit. n. 19 et 20.)

QUER. 2º *An talis sacerdos teneatur, si aegrotat, interim alteri stipendium dare, ut Missas celebret.*

Resp. Communis est sententia ipsum non teneri, si brevis est infirmitas; nisi fundator voluerit non deficere Missam in tali loco vel tempore. Quaenam autem sit infirmitas brevis? Alii restringunt ad 15 dies, alii extendunt ad mensem, alii ad duos menses; omnes istae opiniones videntur esse probabiles. (n. 333.)

221. — Reductio oneris. Reductio onerum Missarum quae pias fundationes gravant, *semper Sedi Apostolicae reservatur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur.* (can. 1551. § 1. iuncto can. 1517. § 2.)

Dictum est: *semper Sedi Apostolicae reservatur*; etenim quoad Missarum onera non valet facultas concessa in can. 1517. § 2, qua quandoque etiam Ordinarius onera fundationum imminuere potest. Inde Missarum reductio ob imminutos redditus tunc tantum Ordinario competit, quando in tabulis fundationis id expresse ipsi conceditur. Multo minus sacerdos aliquid proprio marte agere potest. Ita ex can. cit. et ex decl. Comm. Interpr. Cod. 14 Iul. 1922. (A. A. S. 1922. p. 529.)

Si vero fundus cum redditibus absque causa culpabili *prorsus perierit*, obligatio etiamnum ex seipsa cessare videtur. Cfr. Wernz. III. n. 206. et 537; v. d. Burgt. *de Celebratione Missarum* n. 158. *sequ.*; nec contra est can. 829, cum in casu Missarum eleemosynae perceptae non sint.

Notanda. 1º *Causae* ob quas Sedes Apostolica solet Missas reducere, sunt paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio reddituum monasterii, vel maiores expensae necessariae ad victum, vel denique urgens aliqua necessitas fabricae ecclesiae, aut monasterii. (n. 331.)

2º Cum reductio onerum Missarum semper unice Sedi Apostolicae reservetur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur, consultum est ut fundator facultatem concedat, referendam in actum fundationis, reducendi Missarum numerum, si contingat ut fundi vel sortis reditus minuantur, aut ex alia causa impares evadant eleemosynae pro singulis Missis. Ita Roncag. *tr. 18. qu. 2. cap. 8. qu. 9.* Bened. XIV *De Syn. lib. 13. cap. ult. n. 10. et 30.* — Praestaret porro ut fundator generaliter statuat v. g. pro singulis Missis duplum stipendum ordinarium; tune difficultates futurae preecluduntur.

3º Indultum reducendi Missas fundatas non protenditur, nec ad alias Missas ex contractu debitas, nec ad alia onera piae fundationis. (can. 155. § 2.)

Indultum generale reducendi onera piarum fundationum ita intelligendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera quam Missas reducat. (can. 1551. § 3.)

Insuper notandum est onera Missarum non praescribere. Ita ex can. 1509. 5º; cfr. supra *tom. 1. n. 686.*

222. — Condonatio oneris. Condonatio Missarum non celebratarum sive fundatarum sive adventitiarum, etiam ad solam Sedem Apostolicam pertinet.

Pro *foro externo* recurrendum est ad S. C. Cone.; quae condonationem tum solum dare consuevit, cum patet Missas sine sacerdotis culpa omissas fuisse, nec tantos reditus superesse ut omissionibus suppleri valeat. (Cfr. can. 250. § 2.) Pro *foro interno* recurrendum est ad S. Poenit. per Confessarium, tacito poenitentis nomine; haec condonare non solet, nisi commissum sit occultum, et sacerdos impotens factus ad satisfaciendum. (Bened. XIV *loc. cit. n. 15. Lucidi cap. 7. n. 86. seqq.*)

CAPUT IV.

OBLIGATIONES SACERDOTUM CIRCA CELEBRATIONEM MISSAE

Hactenus tractavimus de natura, de fructibus, de applicatione Sacrificii Missae; nunc superest tractare tam de obligatione sacrificandi, quam de prohibitione aliquando celebrandi; ex quibus simul patebit licita frequentia eius; denique de iis, quae servari debent in modo sacrificandi. Quantum ad obligationem celebrandi, de titulis obligationis *celebrandi et ad certum finem applicandi* supra *n. 195-222* sufficienter est determinatum; restat ut agamus de titulo, qui est obligationis *celebrandi tantum*, sc. ratione *Ordinis sacerdotalis*.

Articulus I.

Obligatio aliquando celebrandi ratione Ordinis sacerdotalis

223. — Christum dedisse universo *Ordini sacerdotali* preeceptum celebrandi Missam, de fide est, definita in Trid. sess. 22. can. 2. ex verbis Christi: «Hoc facite in meam commemorationem.» — Quod ad *singulos* sacerdotes attinet, haec statui possunt.

224. — *Principia. I. Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi PLURIES PER ANNUM* (can. 805.) Hinc hodie omnes sacerdotes gravi praecepto saltem iuris ecclesiastici tenentur celebrare ad minimum ter quaterve in anno; pluries per annum enim non celebrat nisi saltem ter quaterve in anno Missam offert. — Caeterum sacerdos negligens celebrare per longum tempus, puta per sex menses, non potest excusari a peccato gravi propter scandalum; quia diuturna omissio Sacrificii communiter habetur tamquam signum pravae conscientiae et malae vitae. (n. 313.)

II. Existit aliqua levis obligatio celebrandi SALTEM DIEBUS DOMINICIS ET SOLLEMNIBUS FESTIS; quae deducitur ex Trid. sess. 23. cap. 14. de ref. ubi loquens de sacerdotibus ait: «Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis et festis sollemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent,» et ex can. 805: «Curet Episcopus vel Superior religiosus ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecerto divinis operentur.» (n. 359. in medio. Bened. XIV. De Sacr. Miss. sect. 2. n. 6.)

III. QUOTIDIANA Sacrificii Missae celebratio omnibus maxime commendanda est. Imo sacerdos, qui quotidie celebrare posset (uno forte hebdomadis die excepto ob reverentiam) et sine ulla iusta causa, sed tantum ob desidiam a celebratione abstineret, vix potest a veniali culpa excusari. Ratio est, quia privat Ecclesiam fructu Sacrificii; munus enim sacrificandi non est privatum sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiae; et ideo sacerdos, quamvis sit imperfectus, dummodo indignus non sit, non debet ab hoc sacro munere cessare. Propterea inquit Apostolus ad Hebr. v. 1: «Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.» (n. 359. Exam. Ordin. n. 111.)

225. — *Quaestio. An sit PRAECEPTUM DIVINUM sacrificandi obligans sub gravi SINGULOS sacerdotes, quamvis non habeant curam animarum, nec alium titulum obligationis, praeter Ordinem susceptum.*

Resp. Quidam negant; quia nullum appareat fundamentum, quod moraliter convincat, ad asserendum strictum praeceptum divinum *singulos* obligans.

At sententia longe communior et probabilius affirmat quemlibet Sacerdotem teneri stricto praecepto ad sacrificandum aliquoties in anno, nisi legitimo impedimento excusetur. Probatur: 1º ex verbis Christi: «Hoc facite in meam commemorationem»; quae verba Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. et can. 2. declarat Christum locutum fuisse ad Apostolos ut sacerdotes, et in ipsis ad omnes futuros sacerdotes, et non tantum ad Pastores Ecclesiae, vel communiter ad Ecclesiam; sentit ergo praeceptum singulos obligare. 2º Ex verbis Apostoli supra citatis: «Omnis Pontifex», etc. 3º Ex ratione, quam affert D. Thomas¹⁾; quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud II Cor. vi. 1: «Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis»; porro

¹⁾ S. Th. 3. qu. 82. a. 10.

Sacmenta destinata sunt tantum ad usum fidelium, Sacrificium vero tum ad honorem Dei, tum ad ingens bonum totius mundi; ideo ad Sacmenta ministra solum tenentur ii, qui curam animarum suscipiunt, ad sacrificandum autem tenentur omnes propter Ordinem susceptum. (*n.* 313. *Exam. Ordin.* *n.* 111.)

Articulus II.

Prohibitio aliquando celebrandi.

226. — Quoad plures Missae eadem die. I. Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, *non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.* (*can.* 806. § 1.)¹⁾

In die Nativitatis Domini et Commemorationis omnium fidelium defunctorum tres Missae si celebrantur, legendae sunt quales in Missali notantur. Sacerdos vero qui ob iustum causam ex Apostolicae Sedis indulto quotidie Missam Deiparae Votivam aut aliam votivam celebrat, potest die Nativitatis eandem prorsus Missam ter dicere; similiter ille cui eodem modo Missam quotidianam defunctorum dicere permittitur, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum Missam defunctorum quotidianam ter repetere potest. Ita resp. S. R. C. 26 Ian. 1920. (*A. A. S.* 1920. p. 122.)

II. Ut igitur aliis diebus binatio licita sit, omnino opus est apostolico indulto aut potestate facta ab Ordinario loci. Ordinarius autem hanc facultatem impetrari nequit, nisi cum *propter penuriam sacerdotum die festo de praeccepto*²⁾ *notabilis fidelium pars Missae adstare non possit* (*can.* 806. § 2); sive quia idem parochus duarum paroeciarum curam gerit, ita inter se distantium, ut utriusque paroeciae populus in unam ecclesiam convenire commode nequeat; sive quia unicae Missae notabilis populi pars adesse non potest sive alia ratione. Res prudenti Ordinarii iudicio committitur (*can. cit.*), qui hac in re non anxie procedere debet.³⁾ Non potest autem plures quam duas Missas eidem sacerdoti permettere. (*can. cit.*)

Facultas est *realis*, ita ut sacerdos vices agens parochi ea etiam uti possit. Sed ligata est ipsi necessitatibus, ita ut si alius sacerdos supervenerit qui Missam dicere velit ea hora qua Missa pro populo dici soleat, facultas adhiberi nequeat. — *Notabilis* autem pars fidelium in casu censemur esse viginti vel triginta circiter personarum, quae secus Missa carere deberent.

In casu repentinae necessitatis licentia Episcopi praesumi posse videtur; nisi forte statuta dioecesana vel provincialia postulent, ut iudicium vicarii foranei intercedat.⁴⁾

¹⁾ Sacerdotes qui contra hoc praescriptum praesumpserint Missam eadem die iterare, suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adjuncta praefiniendum. Ita can. 2321. — Quoad *stipendium* pro Missa binationis cfr. *n.* 203. III. — Qui pluries eadem die celebrat, nequit sumere ablutionem nisi in ultima Missa. Sacerdos tamen dispensatus a ieiunio Eucharistico ante secundam Missam potest sumere ablutionem in prima. Ita S. C. Off. 2 Maii 1923. (*A. A. S.* 1923. p. 583.)

²⁾ Ex indulto apostolico iam aliquando datum facultas binandi diebus festis non de praecipto vel etiam pro matrimonii et funeralibus. Cfr. *Monitore ecol.* 1940 p. 134.

³⁾ Instr. S. C. de Prop. Fide, 24 Maii 1870. *n.* 13-17. (*A. S. S.* vol. 6. pag. 564. Coll. Prop. Fide *n.* 1352.)

⁴⁾ Cfr. Syn. Prov. Ultraj *tit.* II. *cap.* VII. *p.* 98.

Dein in casu necessitatis, ne moribundus sine Viatico moriatur, ex epikeia altera Missa celebri posse videtur.

Sacerdotibus byzantini ritus bis in die celebrare nusquam licet nisi Ap. Sedes vel per se vel per Ordinarium, gravibus de causis, facultatem scripto dederit. Sacerdos ex tali facultate celebrans observare debet praescriptiones Instr. S. C. Orientalis I Febr. 1933¹⁾

227. — **Quibus diebus non licet celebrare.** Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis, qui proprio sacerdotis ritu excluduntur. Ita can. 820. Porro in ritu latino *die Parasceves*, seu Feria sexta Maioris Hebdomadis, prohibitum est omnibus sacerdotibus offerre Sacrificium; sollempne enim Officium illius diei non est Sacrificium. Ratio est, quia illo die Passio Domini ab Ecclesia recolitur prout *re vera gesta* est, et ideo non repreaesentatur mystice.

Praeterea, *Feria quinta in Coena Domini et Sabbato Sancto* prohibitum est *privatas* Missas celebrare; sed solum est in singulis ecclesiis Missa sollemnis ab ecclesiae Rectore, vel ab alio qui eius locum tenet, celebranda.

Quocirca advertendum superest: 1º Expedit ut in Missa Feriae quintae alii sacerdotes cum reliquo Clero communicent. Ita can. 862. Ratio est, in memoriam quod Dominus noster manu sua propria Apostolis Communionem porrexit.

2º Si contingit ut festum de pracepto, puta Festivitas S. Joseph, incidat in feriam V. «per Ordinarios locorum accurate providendum est ut eo die aliquae quidem Missae privatae, ante celebrationem solitae Missae Conventualis celebrandae, pro pracepti implemendo non desint; sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa sollemni eius diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus nullatenus omittatur». Ita Decretum generale et promulgatum S. R. C. 13 Sept. 1692. n. 1883. et Declar. 10 Ian. 1693. ad 6. n. 1890. Hae Missae dicendae sunt de Sollemnitate diei, cum *Gloria* et *Oredo*, non autem de Festo, de quo nihil fit. S. R. C. 7 Sept. 1816. ad 8 et 9. n. 2572.

228. — **Scholion. Missae celebratio in ecclesia aliena.** I. Sacerdos extra-neus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas *litteras commendatitias* sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si sit religiosus, vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat. (can. 804. § 1.)²⁾

II. *Si iis litteris careat*, sed rectori ecclesiae de eius probitate apprime constet, poterit admitti; si vero rectori ignotus sit, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium, suamque dioecesim in peculiari libro signet. (can. 804. § 2.)

III. *Peculiares hac de re normae*, salvis huius canonis praescriptis, ab

¹⁾ Cfr. A. A. S. XXVI. 1934. p. 181. Inter has praescriptiones venit etiam ne sacerdos pro secunda celebratione ullo modo praesumat stipem accipere sed Missam applicet vel pro populo vel ad mentem Episcopi vel suam; fas tamen est aliquam retributionem ex titulo extrinseco percipere.

²⁾ Cfr. Monitum S. C. pro Eccl. Orientali 20 Iulii 1937. (A. A. S. 1937. p. 342.) Commentarium vide in *Apollinaris* 1938. p. 9.

Ordinario loci datae, servanda sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis. (can. 804. § 3.)

Articulus III.

Obligatio servandi requisita ad Missam.

Quoniam Sacrificio Missae nihil sanctius est, Christus illud instituit in coenaculo grandi et strato; unde Ecclesia intellexit voluntatem Domini esse ut cum apparatu et cultu externo celebretur. Idcirco Ecclesia multa praescripsit, ut actio sacrificandi cum omni decore, religione et pietate exerceatur. Pertinent praescripta illa tum ad tempus celebrandi, tum ad locum, altare, vasa sacra, vestes sacras, praeparationem sacerdotis, et sacros ritus; de quibus singillatim tractabimus.

§ I. - TEMPUS DEBITUM.

229. — De tempore legitimo celebrandi. I. *Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.* (can. 821. § 1.)¹⁾

Nomine aurorae intelligitur initium diluculi diei, seu prima lucis irradatio. Aurora praecedit ortum solis plus minusve secundum anni temporum locorumque varietatem. — Tempus supputandum est secundum communem loci usum; in privata tamen Missae celebratione licet sequi et alias temporis supputationes. Ita ex can. 33.

Porro tempus hoc non mathematice, sed moraliter accipendum est; quocirca Bened. XIII et Clemens XII declararunt posse tolerari latitudinem tertiae partis horae (i. e. 20 sexagesimarum.) (n. 341. Bened. XIV. *Instit.* 13 et 68.)

Ubi aurora per aliquod tempus non habetur, licere videtur incipere Missam a tempore quod aequivalet aurorae, hoc est ab exordio vitae civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera. (S. R. C. 2 Nov. 1634. n. 614.)

II. *Tempus legitimum celebrandi servandum est sub praecepto ex genere suo gravi.* Constat: 1º ex praecepto Missalis ad actum Missae spectante. 2º Ex Conc. Trid. sess. 22. *Deer. de obs. et evit.*, ubi decernit ut Ordinarii « editio et poenis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitum horis celebrent. » 3º Denique ex Constit. S. Pii V. *SS. in Christo Pater.* 29 Mart. 1566, ubi Pontifex prohibet in virtute sanctae obedientiae, ne quis praesumat quovis praetextu, etiam licentiarum, vespertino tempore celebrare. (n. 345.)

Quaenam autem in hoc praecepto censenda sit materia gravis, DD. non consentiunt. Communius vero et probabilius censent materiam gravem esse, si Missa incipiatur hora integra ante vel post tempus statutum. (n. 346.)

¹⁾ Post largissimas dispensationes tempore belli concessas nunc aliquando facultas datur celebrandi diebus festis de praecepto horis pomeridianis vel vespertinis ob populi necessitatem; vide v. g. *Monitore eccl.* 1948 p. 79; *Ami du Clergé*. 1948 p. 17-23; *N. K. St.* 1948 p. 66.

III. *Aliquando licet celebrare ante vel post tempus statutum, nimirum:*

1º Ex privilegio S. Pontificis post Conc. Trid. concesso; privilegia ante Conc. Trid. concessa, revocata esse videntur.

Concilium namque revocasse privilegia ante concessa celebrandi extra horas praescriptas, patet ex sess. 22. deer. de observ. et evit., ubi iubet Episcopos cavere ne sacerdotes aliis quam debitibus horis celebrent, *non obstantibus privilegiis quibuscumque*. Et S. C. C. declaravit Regulares etiam comprehendi in hoc decreto, uti refert Benedictus XIV. Si enim privilegia illa non abrogasset, omnino repugnaret Concilium Episcopis mandasse ut illorum usum stricte interdicterent.¹⁾

2º Ex dispensatione Ordinarii in aliquo casu particulari, rationabili ex causa.²⁾ Quam dispensandi facultatem habent quoque Superiores maiores exempti erga religiosos suos, secluso privilegio; cum sint eorum Ordinarii. (can. 198. § 1.) (n. 344.)

3º Ubi est mos rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire Sacrum. (n. 343.)

4º Ex iusta causa occurrente. Porro in materia levi, i. e. citra horam, excusat causa rationabilis. In materia gravi, dummodo unius horae tempus non nimis excedatur, requiritur causa gravior, puta occasione alicuius sollemnitatis, processionis publicae, ne pars populi Missa privetur, item causa itineris, et aliae causae similes. Denique, si necessitas urgeret administrandi Viaticum, et deessent particulae consecratae, liceret celebrare statim post medium noctem. (n. 343. 344. Exam. Ordin. n. 113.)

5º In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto. (canon 821. § 2.) In hac Missa et communionem populo distribuere licet, saltem ex causa rationabili. (cfr. supra n. 128. II.)³⁾

In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate Sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales Missas, vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sacram communionem petentibus ministrare. (can. 821. § 3.)

NOTA. Missa Conventualis et Sollemnis, quo ordine dici debeat, vide in Missali Rubr. gen. tit. 15.

230. — De tempore impendendo privatae Missae celebrationi. QUAER.
Quantum temporis spatium privatae Missae celebrationi impendi debeat.
Resp. Dist. Quoad decentiam, ut sacerdos Missam celebret « quanta

¹⁾ Caeterum, post Conc. Trid. Pius VI Congregationi Puritatis Neapoli erectione concessit, ut semper et ubique duabus horis ante auroram et post meridiem celebrare possent. (Cfr. Comp. Priv. Prior. Operar. p. II. cap. 5. § 7.) Gregorius XVI Jesuitis pro Missionariis concessit, ut « Praepositus Generalis facultatem dare possit, ut sive itineris causa, sive causa devotionis, pro se vel pro populo, sive causa dandae communionis fidelibus expectantibus, hora secunda post medium noctem celebrent. » (Cfr. Comp. Priv. S. J. n. 410). Privilegiis istis per communicationem et plurimi alii fruuntur.

²⁾ Cfr. et S. R. C. 7 Iulii 1899. n. 14044. ad 4.

³⁾ Cfr. etiam Motu proprio 1 Dec. 1940 pro tempore quo nocte lumina obstruenda erant. A. A. S. 1940. p. 529.

maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie», prout vult Concilium Trid.¹⁾), debet fere semihoram celebrationi impendere.

Quoad obligationem; optime docet Bened. XIV²⁾: «Ex unanimi Scriptorum opinione, ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere;» quia breviori spatio non possunt omnia attente ac decenter peragi, et longius spatium taedio afficit adstantes. Quamobrem non excusatur a peccato mortali sacerdos, qui infra quadrantem Missam absolvit, etiamsi Missa sit ex brevioribus, quia in tam festinata celebratione necessario committet gravem irreverentiam erga Sacramentum, et grave scandalum dabit populo.³⁾

Etenim, iuxta Trid. sess. 22. cap. 5, sacrae caeremoniae ad duplicem finem institutae sunt, tum nempe ut debita praestetur tam venerabili Mysterio reverentia, ipsas exhibendo cum eo decore eaque gravitate, quae maiestati tanti Sacrificii convenient; tum ut veneratio erga illud ingeratur fidelibus. Atqui utrumque hunc finem graviter laedit sacerdos tam festinanter celebrans; non enim poterit celebrare sine plurimis defectibus, nimirum, verba, benedictiones, et genuflexiones mutilabit; indecenter genuflectet, se movebit et convertet; et, quod magis decedet, verba cum caeremoniis permiscebit, aut contra Rubricarum praescriptum anticipabit vel postponet; quae quidem omnia, quantopere adversentur reverentiae nemo non videt; deinde, caeremoniae nimis festinanter peractae, nedum venerationem ingerant populo, venerationem plane adimunt, imo tentationes adversus fidem ingerunt, fidemque labefactant. Hue adde, vix possibile esse ut non graviter delinquit contra praeceptos Ecclesiae ritus, ut ex dictis colligitur. Quas ob causas Conc. Trid.⁴⁾ loquens de reverentia Sacrificio debita, merito commonet «maledictum in Sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter», subditque irreverentiam erga Sacrificium «ab impietate vix seiunctam esse posse».

Ex dictis consequitur, Episcopos et Praelatos Regularium teneri sub gravi turpem hanc et scandalosam celeritatem extirpare. (n. 400. Exam. Ord. n. 125. H. A. n. 84-86.)

§ II. - LOCUS SACER.

231. — Principia. I. *Iure communi et ordinario Missa celebranda est in loco sacro, hoc est, in ecclesia vel oratorio publico consecrato vel benedicto ad normam iuris, vel in oratorio semi-publico vel privato legitime erecto et divino tantum cultui reservato.*⁵⁾ Ita ex can. 822. et ex Trid. sess. 22. Decr. de observ. et evit. Est obligatio gravis ut liquet ex fine intento. Ad celebrandum in alio loco requiritur facultas a competenti auctoritate concessa.

¹⁾ Sess. 22. Decret. de observ. et evit.

²⁾ De Sacrif. Miss. sect. 2. n. 217

³⁾ Disquisitionem circa theologorum hac de re sententiam habes apud Nouv. Rev. Théol. 1925. p. 27.

⁴⁾ Sess. 22. Decr. de observ. et evit.

⁵⁾ Do variis Oratoriis cfr. can. 1188. seq. vel tom. I. n. 528.

Ut Missa celebrari possit in ecclesia vel oratorio publico, requiritur quod sollempni consecratione vel saltem benedictione divino cultui sint perpetuo dedicata. (Ita ex can. 1165. § 1. 1171 et 1191.)

Ut in oratorio semi-publico vel privato Missa celebrari possit requiritur et sufficit quod sint legitime erecta, imo oratoria privata nec benedici nec consecrari possunt more ecclesiasticum; debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera. Et quidem in oratorio semi-publico legitime erecto ipso iure permittitur omnia divina officia functionesve ecclesiasticas celebrari nisi obstant rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit. (cfr. can. 1193.) De oratoriis privatis cfr. infra n. 234.

II. HABITUALIS facultas celebrandi extra locum sacrum seu privilegium ALTARIS PORTATILIS si non vi iuris habetur, concedi nequit nisi indulto Sedis Apostolicae; AD ACTUM autem intra limites iuris illam licentiam dare potest etiam Ordinarius loci aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior. Ita ex can. 822. § 2 et 4.

Privilegium *altaris portatilis* ita intelligendum est, ut secum ferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari. (can. 822. § 3.) Ipso iure hoc privilegio gaudent Cardinales (can. 239. § 1. 7^o) et Episcopi (can. 349. § 1); qui et permettere possunt, ut alia Missa ipsis adstantibus, celebretur. (can. cit.)¹⁾

Quoad potestatem Ordinarii statuit can. 822. § 4: « licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum et rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus. »²⁾

Ordinarius igitur hac facultate pollet in casibus extraordinariis, si *iusta* adest et *rationabilis* causa; in *casu autem necessitatis* Ordinarii licentia non stricte necessaria est, quia lex illa de loco sacro in iis adjunctis non obligare videtur; nihilominus petatur, saltem si commode peti possit. Casus autem necessitatis sunt: *a)* si ecclesia diruta est; *b)* si sacerdos longam peragit peregrinationem per loca deserta vel infidelium, ubi desunt ecclesiae; *c)* quando ecclesia non est capax populi, et alia non exstat, aut nonnisi valde dissita, ita ut sit difficilis accessus, atque ideo multi Missa carere deberent; *d)* si exercitus est in castris tempore belli, aut navigantium multitudo in littore maris; ne milites aut navigantes Missa careant in diebus festis; similiter *e)* tempore persecutionis, cum imminent vitae periculum, aut possibile non est in ecclesiis celebrare. Si casus necessitatis dubius est, facile tamen habebitur rationabilis causa ita ut Ordinarius facultatem nihilominus concedere possit. (n. 356 et 359.)

¹⁾ Instruct. 1 Oct. 1949 (*A. A. S.* 1949. p. 501.) S. C. Sacram. severas normas atque restrictiones publicavit sub quibus deinceps indulsum altaris portatilis concedet. Ita v. g. concedetur solummodo propter bonum publicum fidelium, non ipsis sacerdotibus nisi in casu infirmitatis (n. 4-5.)

²⁾ Hanc potestatem Ordinariorum *restrictive* interpretandam esse respondit Comm. Interpr. Cod. 16 Oct. 1919. sub 12. (*A. A. S.* 1919. p. 478.) — Dein S. C. de disc. Saer. in suis litteris ad Ord. Italiae 26 Iulii 1924 declaravit causam hanc iustum et rationabilem desumti debere ex bono cultus divini et spirituali animarum bono. (*A. A. S.* 1924. p. 370.) — Ex eiusdem S. Congr. resp. 3 Maii 1926. Ordinarius etiam celebrationem domi praesente cadavero in loco vulgo *camera ardente* permittere nequit nisi in casu aliquo extraordinario existante iusta et rationabili causa; qui casus extraordinarius una cum iusta et rationabili causa ex eodem S. C. resp. habetur occasione obitus loci Ordinarii aut personae et principe familiae aut aliter insignis ob merita et benefacta in Ecclesiam vel in rempublicam, vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos; quo in casu dummodo semper debitae exequiae explentur in ecclesia, Ordinarius permittere potest unius vel alterius Missae, sed non plus quam trium Missarum celebrationem, abrogato indulto S. R. Congr. diei 29 Apr. 1894. (*A. A. S.* 1926. p. 388.)

232. — III. *Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto (can. 823. § 1), nec in ecclesia exsecrata (can. 822) vel violata antequam reconciliata fuerit (can. 1173. § 1), nec in ecclesia interdicta, salvis casibus a iure exceptis. (can. 2270. § 1.)*

Porro: 1º Ecclesia EXSECRATUR, seu consecrationem vel benedictionem amittit tantum, si tota destructa fuerit, vel maior parietum pars corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit. (can. 1170.) Oportet tamen ut *simul et semel* destruantur; nam si paulatim et successive destruantur ac reparentur, ita ut pars non consecrata, quae singulis vicibus additur, non sit maior, consecratio non perditur, etiamsi successive tota ecclesia destruatur ac reparetur; quia tunc semper censetur manere idem numero templum, et pars maior trahit ad se minorem. (n. 367. 368.)

Ecclesia non exsecratur, si crusta parietum auferatur; quia ecclesia *tota* consecrata est. Ideo post novam incrustationem satis est iterum depingere vel apponere cruces in parietibus, in testimonium peractae consecrationis. Ita S. R. C. 4 Maii 1882. n. 3545.

2º Ecclesia VIOLATUR infra recensisit tantum actibus, dummodo certi sint, notorii et in ipsa ecclesia positi: 1º delicto homicidii; 2º iniuriosa et gravi sanguinis effusione; 3º impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit; 4º sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. (can. 1172. § 1; cfr. supra tom. I. n. 442.)

Quocirca notanda sunt: a) Quaestio movetur num violetur ecclesia, si vulnus inferatur intra ecclesiam, mors autem vel sanguinis effusio extra eam contingat. Communiter et probabilius affirmant DD., contra paucos; quia sufficit *delictum occisivum* vel sanguinis effusivum in *ecclesia patratum esse*. (n. 364.) — b) Nomine infidelis non comprehenditur catechumenus, quippe qui iam eredat; neque proles in utero matris clausa; quia foetus non computatur ut persona distincta, sed ut pars matris. — c) Ut praedicti actus polluant ecclesiam debent esse *notorii*, notorietate sive facti sive iuris, ut DD. tradunt communiter. Satis est tamen, si crimen occulte patratum postea fiat notorium. (n. 364. 660.) — Item debent esse *facti in ipsa ecclesia*, non in turri, atrio, sacristia aut coemeterio annexo; quia in odiosis pro ecclesia habetur solum corpus eius internum. (n. 262. Lib. 3. n. 38. 460. Cfr. et can. 1172. § 2.)

Tum denuo in ecclesia polluta celebrare licet, cum ea *reconciliata* fuerit; quod quam citissime faciendum est, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos. (Ita ex can. 1173 et 1174.) Reconciliatio fiat aspersione aquae, quae vino, cinere et sale mixta atque ad hoc ab Episcopo vel a sacerdote reconciliante benedicta est, si ecclesia fuit prius *consecrata* secundum ritum Pontificalis Rom.: fieri potest aspersione aquae lustralis communis si ecclesia tantum *benedicta* fuit secundum ritum Ritualis Rom. (can. 1177.) — Porro ecclesia *consecrata* reconciliari debet ab Episcopo vel, si ad religionem clericalem exemptam pertinet, a Superiore maiore; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare. (can. 1176. § 2 et 1156.) In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adire nequeat, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario. (can. 1176. § 3.) Ecclesiam *benedictam* reconciliare potest rector eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris. (can. 1176. § 1.)

3º Ecclesiae INTERDICTUM est censura ecclesiastica, qua ob delictum patratum vetatur divinorum Officiorum celebratio in ecclesia, salvis tamen de iure excipiendis. Hac de re agemus in Tractatu de Censuris. n. 1031 *sequi*.

233. — Missa in mari. Missam celebrare in mari non licet sine speciali Indulso Apostolico; unde non ex solo privilegio altaris portatilis, ut patet ex can. 822. § 2. Hac facultate ipso iure gaudent S. R. E. Cardinales (canon 239. § 1. n. 8.) et Episcopi, (can. 349. § 1. n. 1.)¹⁾

Porro S. C. de Prop. Fide decreto 1 Mart. 1902 a Leone XIII approbato: «Omnibus Missionariis *suae iurisdictioni subiectis* et speciali indulso fruentibus celebrandi in mari SS. Missae Sacrificium..... praecipit ut, quoties eo privilegio utuntur, sedulo et religiose servent praescriptas regulas, in ipso apostolicae concessionis rescripto apponi solitas. Videant nempe utrum mare sit adeo tranquillum ut nullum adsit periculum effusionis SS. Specierum e calice; curent ut *alter sacerdos, si adsit, celebranti rite adsistat*; et, si in navi non habeatur Cappella propria vel altare fixum, caveant omnino Missionarii ne locus ad Missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum prae se ferat: quod certe eveniret, si augustissimum altaris mysterium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis». Postea vero, 13 Aug. eodem anno, rescripsit: «Non autem absolute celebratio in cellis prohibita est: quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula».

234. — Missa in oratorio privato. I. Ut in oratorio privato Missam celebrare liceat, generatim opus est indulso Apostolicae Sedis.²⁾

Dictum est *generatim*, nam: 1º Loci Ordinarius in privatis coemeteriorum aediculis *habitualiter* permittere potest etiam plurium Missarum celebrationem; in aliis oratoriis domesticis in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa, *per modum actus* permittere potest *unius* Missae celebrationem; Ordinarius autem has permissiones ne elargiatur, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium vel aediculam visitaverit et decenter instructam repererit. (can. 1194.)

2º Oratoria Cardinalium et Episcoporum, etiam titularium, licet privata, fruuntur omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semipublica gaudent. (can. 1189.)

II. Si habetur indulsum Apostolicae Sedis, in oratoriis domesticis, nisi aliud in eodem indulso expresse caveatur, celebrari potest — postquam Ordinarius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et probaverit — unica Missa, eaque lecta, singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus. Aliae autem functiones ecclesiasticae ibidem ne fiant. (can. 1195. § 1.) — Ordinarius vero, dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indulsum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest *per modum actus* Missae celebrationem. (*ibid.* § 2.)

¹⁾ Probabiliter indulsum speciale non requiri videtur si in navi adest cappella cum altari ad Missae celebrationem parato; aequiparatur enim saltem oratorio semi-publico. Cfr. Lopez in *Periodica*. 1945. p. 42-44.

²⁾ Normas severas pro concessione et usu talis indulti publicavit S. C. Sacram. 1 Oct. 1949. (*A. A. S.* 1949. p. 494.)

§ III. - ALTARE CUM ORNATU SUO.

Trademus: 1º notionem, 2º necessitatem, 3º ornatum altaris.

1. *Notio altaris.*

235. — Notio. I. Altare est lapis quadratus ad sacrificandum destinatus et consecratus.

II. Duplex distinguitur: 1º *fixum* stricte dictum, quando mensa seu tabula lapidea calce connexa est cum structura inferiori, quae *basis* sive *stipes* vocatur, et per modum unius cum ipsa est consecrata. (can. 1197. § 1. 1º.)

In huiusmodi altaris consecratione mensa per sacram unctionem in angulis cum stipite coniungitur. (cfr. can. 1197. § 1. 1º.) — Mensa constare debet ex unico lapide naturali integro et non friabili; qui ad integrum altare protendi debet et apte cum stipite cohaerere; stipes autem sit lapideus vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide (can. 1198. § 1. et 2.) Attamen, opus non est, ut stipes ex uno lapide sit.

2º *Mobile* seu *portatile*, quo intelligitur petra, ut plurimum parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam *ara portatilis* seu *petra sacra*; vel eadem petra cum stipite, qui tamen non fuit una cum eadem consecratus. (can. 1197. § 1. 2º.)

Petra sacra constet, sicut altare fixum, ex unico lapide naturali, integro et non friabili atque tam ampla, ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat. (canon 1198. § 1. et 3.)

III. Tum in altari immobili tum in petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens Reliquias Sanctorum, lapide clausum. (can. 1198. § 4.) Porro Reliquiae debent esse plurimum Martyrum, secundum declar. S. R. C. 6 Oct. 1837. n. 2777, quibus addi possunt Reliquiae aliorum Sanctorum¹⁾: item debent esse partes corporis.

NOTANDA. 1º Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso. (can. 1202. § 1.)

2º Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur. (*ibid.* § 2.) Licite tamen collocantur in crypta sub sacello, in quo altare est erectum, ita disposita ut camera sit a sacello seiuncta. (S. R. C. 27 Iun. 1878.)

3º In ecclesia consecrata saltem unum altare, praesertim maius, debet esse immobile: in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia. (can. 1197. § 2.)

236. — Consecratio. Ut Missae sacrificium super illud celebrari possit, altare debet esse, secundum liturgicas leges, consecratum, idest vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili. (can. 1199. § 1.)

Aras portatiles salvis particularibus privilegiis, omnes Episcopi consecrare possunt; altaria autem immobilia consecrare pertinet ad Ordinarium loci, modo sit Episcopus; sive

¹⁾ Ad validitatem tamen consecrationis sufficit ut includantur reliquiae *unius* Martyris etiam sine reliquiis aliorum Sanctorum. Ita S. R. C. 16 Febr. 1906. (n. 4180. ad 3.)

autem est Episcopus sive non est, semper potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare in suo territorio altaria consecrandi. (can. 1199. § 2. et 1155.)

Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedicatione, quamvis omni die fieri possit, magis tamen decet, ut fiat die dominico aliove festo de praeccepto. (can. 1199. § 3.)

237. — Exsecuratio. I. *Altare immobile* amittit consecrationem, si tabula seu mensa *a stipite*, etiam per temporis momentum, *separetur*; quo in casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore. (can. 1200. § 1.)

II. *Tum altare immobile tum petra sacra* amittunt consecrationem: 1º Si *frangantur* *enormiter* sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis. (can. 1200. § 2. 1º.) Porro, enormis erit fractura, si tabula fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, vel si pars defracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab Episcopo in altaris consecratione specialiter inunctis. — 2º Si *amoveantur reliquiae* aut *frangatur vel amoveatur sepulcri*¹⁾ *operculum*, excepto casu quo ipse Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias. (ibid. 2º.) Levis autem fractio operculi non inducit exsecurationem et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare. (ibid. § 3.)

NOTA. Exsecuratio ecclesiae non secum fert exsecurationem altarium sive immobilium sive mobilium; et vice versa. (ibid. § 4.)

238. — Titulus. Sicut ecclesia, ita quodlibet etiam ecclesiae altare, saltem immobile, proprium sibi titulum habere debet; titulus autem primarius altaris maioris debet idem esse ac titulus ecclesiae. (can. 1201. § 1. et 2.)

Altaria dedicari debent *Deo vel Sanctis; Beatis*, etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto. (ibid. § 4.)

De Ordinarii licentia mutari quidem potest altaris mobilis, non autem altaris immobilis titulus. (ibid. § 3.)

2. *Necessitas altaris.*

239. — Principia. I. *Ex gravi praecerto Missae Sacrificium celebrandum est super altare consecratum.* Constat ex constanti Ecclesiae disciplina et edicitur in Missali Rubr. gen. tit. 20, *De defect. tit. 10. n. 1.* et in can. 822.

Porro aræ, seu altare portatile, inserenda est in altari ligneo vel ex alia materia confecto. Ita Missale loc. cit. (n. 372. 373.)

Nunquam fas est sine altari celebrari; propter reverentiam in quocumque casu debitam Sacrificio Missae. Ita S. C. Prop. Fid. 2 Sept. 1870.²⁾ — Sub gravi etiam vetitum est celebrare super altare exsecuratum. Consequitur ex dictis.

II. *Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato aliis ritus catholici, non autem super Graecorum antimensiis.* (can. 823. § 2.) Antimensia sunt linteal consecrata et reliquias con-

¹⁾ Nomine sepulcri intelligitur locus in altari excisus, in quo Reliquiae reconduntur; eius operculum etiam *sigillum* vocatur.

²⁾ Coll. Prop. Fid. (ed. 1893.) n. 828.

tinentia, quibus Graeci utuntur ad dicendam Missam tam in altari quam extra altare seu lapidem consecratum.¹⁾

Nihilominus ex decr. S. C. Rit. 12 Martii 1947 S. C. de Prop. Fid. Ordinariis facultatem concedere potest permittendi sacerdotibus missionariis sibi subditis, ut in locis ubi viarum et curruum copia deest substituant loco altaris portatilis seu petrae sacrae aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo reconditae sunt Sanctorum Reliquiae ab eodem episcopo recognitae, super quo iidem missionarii Missae Sacrificium celebrare queant, iis tantum in casibus et onerata eorum conscientia, in quibus et nulla ecclesia vel oratorium sive publicum sive privatum exstet, et valde incommodum sit altare lapideum secum in itinere transferre aut in promptu habere. Servatis de cetero servandis iuxta rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporale.²⁾

NOTA. In altaribus papalibus nemini celebrare licet sine apostolico indulto. (can. 823. § 3.)

3. *Ornatus altaris.*

240. — Rubricæ generales Missalis tit. 20. recensent omnia, quibus altare ornari debet, nimirum: 1º *Opertum sit tribus linteis sive mappis mundis et beneficis.*

Longa sit oportet superior mappa, utrumque ad terram usque demissa; consuetudo contraria servari non potest, uti declaravit S. R. C. 9 Iunii 1899. ad 1. n. 4029: reliquæ duæ breviores esse possunt, seu una duplicita. Mappæ confici debent ex lino vel cannabe, ut patet ex decreto generali S. R. C. 118 Mai 1819. n. 2600. a Pio VII approbatu; linum namque et cannabis aequiparantur. (n. 375. Exam. Ord. n. 116.)

2º *Anterior altaris facies pallio seu antependio ornetur, coloris, quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis.* Antependium tamen non requiritur, si altare est marmoreum, vel formam tumbæ sive urnæ habet. (n. 395.)

3º *Super altare esto Crux erecta in medio, cuius ab utroque latere candelabrum sit saltem unum cum cereis accensis.* Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum pro celebrantibus commoditate. In cornu Epistolæ pulvinar (vel, ex usu, parvum pulpitum) missali supponendum. (n. 395.)

Quod ad Crucem attinet, decrevit Bened. XIV Constit. *Accipimus.* 16 Iulii 1736: a) Ut nullo modo fiat Sacrificium ad altare « nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos celebrans ac populus Sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint; quod evenire nequit, si exigua solum Crux exhibeatur ». Idem praescribit Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. 12. n. 11. — b) Crux debet esse cum imagine Crucifixi,³⁾ prout vult Caeremoniale Episcoporum et communis Ecclesiae consuetudo. — c) Quando in altari est magna Crucifixi effigies picta vel caelata, non requiritur alia Crux. — d) In altari, ubi publice expositum est SS. Sacramentum, Crux necessaria non est, sed quaelibet ecclesia relinquitur in praxi sua, ut declaravit S. R. C. 2 Sept. 1741 ad I. n. 2365.⁴⁾

¹⁾ Cfr. Vacant. *Dict. de Théol. Cath.* v. *Antimension.*

²⁾ Textus in *Monitore eccl.* 1948. p. 188-189. Etiam cum comm. Paventi et cum formula benedictionis in *Eph. Iur. Can.* 1947. p. 249-253; *Comm. pro Rel.* 1948. p. 252-258. (Lee.)

³⁾ Pius XII in Encycl. *Mediator Dei.* 20 Nov. 1947 eos a recto aberrare itinere docet, qui Crucifixum in altari non referre debere acerbos quos passus est cruciatus perhibent. (*A. A. S.* 1947. p. 546.)

⁴⁾ Notare hic iuvat S. R. C. 2 Iunii 1883. ad 3. n. 3576 et 11 Iunii 1904. ad 4. n. 4136 rescriptsse tolerari non posse usum collocandi Crucem in throno, qui publicae expositioni SS. Sacramenti inservit. Ratio est, ne trubuatur Crucis idem honor qui SS. Sacramento debetur.

Quantum ad *luminaria*, a) debent esse *cerea*, ut praescribit Missale de defect. tit. 10. n. 1. — b) Exceptis Cardinalibus et Episcopis, non licet caeteris sacerdotibus in Missa stricte privata habere quatuor candelas accensas, ratione *personalis cuiusdam distinctionis ac praeeminentiae*; ratione vero alieuius *majoris sollemnitatis* Festi aut Missae omnibus licet, iuxta Declar. S. R. C. 12 Sept. 1857 ad 9. n. 3059.¹⁾

4º *Iuxta altare a parte Epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti ascendendus*. Parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae, cum pelvicula et manutergio mundo, ponantur in fenestella seu in parva mensa ad haec praeparata.

Quocirca notandum: a) consuetudinem non accendendi tertiam candelam ante Consecrationem, servari posse; sic S. R. C. 9 Iunii 1899. ad 2. n. 4029. (n. 394.) — b) Quamvis ampullas vitreas esse omnino praestet, ut vinum ab aqua facile discerni possit, nihilominus S. C. R. 28 April. 1886. n. 3149 consuetudinem tolerat, ubi exsistit, aureas vel argenteas adhibendi.

5º *Denique, super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae Sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat*. Ita Missale Rubr. gen. tit. 20.

241. — Quaestiones. QUAER. 1º Quanta sit recensitorum obligatio.

Resp. 1º Peccatum grave erit celebrare: a) sine ulla mappa, quod putatur communiter gravis irreverentia; ab omni tamen culpa excusat gravis necessitas sic celebrandi; — b) sine missali; casu excepto, quo missale deesset, et sacerdos experientia didicit sibi abesse periculum errandi; — c) sine ullo lumine: nisi ex indulto apostolico; item cum candelis quae non sunt cereae: nisi in necessitate. (n. 375. 390. 394.)

2º Veniale aestimatur celebrare: a) cum una aut dupli tantum mappa vel cum mappis non benedictis; — b) sine antependio, ubi requiritur; — c) sine Cruce; — d) cum uno cereo. Ab hoc veniali excusat rationabilis causa. (n. 375. 393-395.)

QUAER. 2º Quid factu opus sit, si lumen deficiat intra Missam.

Resp. 1º Si deficiat ante Consecrationem, et aliud haberi non possit, desistendum est a celebratione, ut DD. communiter tradunt. Quodsi unus tantum cereus extinguitur, non est desistendum. 2º Si deficiat post Consecrationem, absolvendum est Sacrificium. 3º Si cerei extinguantur, sed redaccendi possint, tunc ante Consecrationem paulisper exspectandum est, donec redaccendantur; post Consecrationem praestat pergere sine mora, quia continuatio pertinet ad unitatem Sacrificii. 4º Si unus tantum cereus extinguitur, non est subsistendum, interea dum redaccendantur, sed pergendum. (n. 394.)

¹⁾ Lux electrica vetita est, non solum una cum candelis ex cera super altaribus (S. R. C. 16 Maii 1902. n. 4097.), sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram SS. Sacramento vel Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinariae iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas S. Liturgiae postulant. (S. R. C. 4 Iunii 1895. n. 3859; 22 Nov. 1907. n. 4206; 17 Ian. 1908. n. 4210. ad I. Secret. Stat. ad Ep. Italiae 3 Oct. 1923; *Monitore* 1923, p. 330; N. K. St. 1924. p. 4.) Nec licet tempore expositionis privateae vel publicae interiore partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiori collocatis illuminare, ut SS. Eucharistia melius a fidelibus conspici possit. (S. R. C. 28 Iulii 1911. n. 4275.) Ita ipsa S. R. C. varia responsa in compendium redegit in decreto 24 Iunii 1914. (A. A. S. 1914. p. 352.) Cfr. etiam *Ephem. lit.* 1914. p. 469; 1916. p. 164. V.; *Archiv f. Kath. Kirchenrecht.* 1916. p. 81; N. K. St. 1908. p. 134; 1911. p. 314; 1914. p. 235. Pro tempore belli et postbellico cfr. A. A. S. 1916. p. 72. 1942. p. 112. 1949. p. 476.

§ IV. - VASA SACRA CUM ACCESSORIIS.

Vasa sacra quae in Missa usuveniunt, sunt *calix et patena*; accessoria sunt: *corporale, palla, purificatorium, bursa et velum*.

242. — **Vasa sacra.** Sacrificium Missae offerri non potest, sub gravi peccato, sine calice et patena, ex debita materia confectis et ab Episcopo consecratis. Constat ex usu perpetuo Ecclesiae et ex Missali *Rit. Miss. tit. I. n. 1.* (n. 379.)

Dictum est 1º: *ex debita materia confectis*; porro *calix*, quoad cuppam saltem, debet esse vel aureus, vel argenteus; ob paupertatem permittitur calix stanneus; non autem aereus neque cupreus; multo minus vitreus, ob fragilitatem. Ex recentiore concessione permittebantur calices ex aluminio, aliis metallis commixto. (S. R. C. 9 Dec. 1866. Marc. n. 1631.) Cuppa, si non est aurea, sub gravi debet esse intus inaurata. (Ita ex canone 1305. § 2.) *Patena* debet eiusdem esse materiae ac *calix*, et eius superficies similiter inaurata. Constat ex Missali *Rit. Miss. tit. I. n. 1. De defect. tit. 10. n. 1.* (n. 379. dub. 3.)¹⁾

Dictum est 2º: *ab Episcopo consecratis*. Abbates, usum pontificalium habentes, possunt vasa sacra consecrare pro suis ecclesiis, non autem pro aliis. (n. 381.)

Exsecratur sacra supellex: 1º Si tales laesiones vel mutationes subierit, ut pristinam amiserit formam, et iam ad suos usus non habeatur idonea (can. 1305. § 1. 1º); sic exsecratur *calix* quando in fundo perforatur; quando cuppa divellitur a pede fixo; non autem si cuppa separatur a pede versatili, quia per huiusmodi separationem citra fractionem formam non amittit, cum eius partes sine novo artificio iungi possint. Neque *calix* et *patena* amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auratura, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi (can. 1305. § 2.) — 2º Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit. (can. 1305. § 1. 2º.)

NOTA. Calici adiungere licet parvum cochlear, quo aqua in eum immittatur, ut docet Bened. XIV *De Miss. sect. 2. n. 81.* et confirmavit S. R. C. 6 Febr. 1858 ad 4. n. 3064. Confici potest ex qualibet materia, nec benedicendum est.

243. — **Sacerorum vasorum accessoria.** I. In Missae celebratione adhiberi debent *corporale, palla, purificatorium*, ex debita materia confecta, munda, et secundum praescripta liturgica benedicta. Ita Missale *Rit. Miss. tit. I. n. 1.*

Dictum est 1º: *adhiberi debent*; non autem est eadem omnium necessitas. Celebrare *sine corporali* nequit a mortali excusari, nisi gravis urgeret celebrandi necessitas; quia praeceptum hoc ex constanti consuetudine Ecclesiae grave habetur; multumque pertinet ad Sacramenti reverentiam. (n. 387.)

Quoad *pallam*, duplex adest sententia probabilis. *Prima* contendit esse mor-

¹⁾ Quantum ad formam calicis notetur resp. S. R. C. 30 Iun. 1922; « ne differant a formis traditionalibus ob periculum effundendi Sacras Species et excitandi admirationem ». (A. A. S. 1922. p. 437.)

tale; quia olim per ipsum corporale calix operiebatur; sed hodie palla adimplet illud munus corporalis, ac proinde eodem pracepto est necessaria. *Secunda* docet non esse mortale; quia, cum hodie palla separata sit a corporali, non tanta exsistit ratio reverentiae pro palla, quae non tangit sacras species, quanta pro corporali quod eas immediate tangit. *In praxi* igitur si palla deesset, aut per quadrantem exspectanda foret, posset eius loco aliud corporale adhiberi, aut, hoc deficiente, purificatorum vel bursa. (n. 388.)

Si autem *purificatorum* non facile haberi possit, probabiliter potest sine eo celebrari, eiusque loco adhiberi strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur. (n. 389.)

Dictum est 2º: *ex debita materia confecta*, sc. ex lino vel cannabe; haec quippe aequiparantur. (S. R. C. 18 Maii 1819. n. 2600.)

Pro Indiis tamen a Clemente XIII indultum concessum fuit celebrandi super corporali telae bombycinae. (*Coll. de Prop. Fid.* n. 431.) — Non est prohibitum quominus corpore in ora auro vel serico ornetur; quia Missale dicit illud *in medio* non debere ornari. (n. 388.) Item licet uti palla in superiori parte panno serico, aut auro vel argento intexto, et acu picta cooperata, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa. Ita S. R. C. 17 Iunii 1894 ad 4. n. 3832.

Dictum est 3º: *munda*; imprimis corpore, quod summae munditiae esse debet; ita ut grave peccatum foret celebrare cum corporali *valde immundo*, nisi necessitas excusaret, v. g. si secus omitti deberet saerum de praecpte. Si non valde immundum est, est tantum veniale, imo nullum, si aliud haberi non potest. Sacerdotes proinde, quibus cura linteaminum non incumbit et iis tantum utuntur, facilius excusautur. (n. 376. *Exam. Ord.* n. 119.)

Dictum est 4º: *secundum praescripta liturgica benedicta*; porro benedictio prescribitur solum pro corporali et palla, non autem pro purificatorio. (Missale. *Rit. Miss. tit. I.* n. 1, S. R. C. 7 Sept. 1816 ad 12. n. 2572.)

Benedictionem autem impertire possunt: 1º S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes; 2º locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii; 3º parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis; 4º sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantibus; 5º superiores religiosi, et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum. (can. 1304.)

II. Item in Missa adhiberi debent velum, idque sericum, et bursa, utrumque coloris paramentorum. Haec autem non sunt seorsum benedicenda, nec per se est peccatum sine illis celebrare.

244. — Quaestiones. QUAER. 1º *Quibusnam liceat TANGERE vasa et linteamina sacra.*

Resp. 1º Dum Eucharistiam continent, solis sacerdotibus et diaconis fas est ea tangere; caeteris, extra casum necessitatis, sub gravi prohibitum.

2º Si actu Eucharistiam non continent, valet can. 1306. § 1: « Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuere in Sacrificio Missae, tangantur nisi a clericis vel

ab iis qui eorum custodiam habent. » Sacristis igitur semper ea tangere licet. Pro aliis, secluso contemptu, non erit nisi veniale peccatum, cum non sit materia gravis et Codex remisse loquatur; si ex rationabili causa fiat, culpa vacat.

Praedicta, ob paritatem rationis, etiamnum valere videntur non modo de calice et patena, quae chrismate unguntur, verum etiam de pyxide, et de lunula ostensorii, postquam adhibita fuerunt; quia haec omnia sacras species attigerunt. Reliqua omnia, quae SS. Sacramentum nunquam immediate attingunt, a laicis contrectari licite possunt. (n. 382. Ferrar. *v. vasa sacra. n. 8. sqq.*)

QUAER. 2º Quid servandum in lotione linteorum.

Resp. Can. 1306. § 2. statuit: « Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae Sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clero in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem. » Unde sequitur secundam et tertiam lotionem semper a laicis fieri posse.

§ V. - VESTES SACRAE.

Sex sunt vestes pro sacerdotibus sacrificantibus institutae, scil.: amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, et casula seu planeta. Ita Missale *Rit. Miss. tit. 1. Amictus et cingulum dicuntur vestes minores, aliae maiores.*

245. — I. Necessitas. Statuit can. 811: « Sacerdos, Missam celebraturus, deferat sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta. » Praeceptum ergo est Ecclesiae Missam cum omnibus sacris vestibus celebrandi et quidem praeceptum grave, ita ut peccatum mortale sit, non solum nullas adhibere sacras vestes, verum etiam voluntarie omittere aliquam earum *praecipuum*. Ratio sumitur ab universalis consuetudine Ecclesiae, quae hunc ritum observat tamquam maxime pertinentem ad reverentiam erga hoc Sacramentum.

Hinc probabiliter non erit mortale celebrare sine cingulo, aut sine amictu, imo nullum peccatum, si praedicta desint; quia minora sunt. (n. 377.)

Praeterea, in gravi necessitate probabiliter licebit sine aliqua ex vestibus etiam praecepit celebrare, puta sine stola, sine manipulo. (n. 377.)

QUAERITUR: An unquam liceat celebrare Missam sine ulla ueste sacra.

Resp. Plures affirmant, modo absit contemptus; quia praeceptum ecclesiasticum non obligat in necessitate.

Sententia vero, quam S. Alf. sequitur, negat, ne pro Viatico quidem ministrando; quia scandalum crearet et gravis irreverentia esset; reverentia autem tanto Sacramento debita magis urget quam Viaticum. Ita complures quoque DD., at prae omnibus Bened. XIV Constit. *Aestas anni. 11 Oct. 1757. n. 18. (n. 289. 377.)*

Nihilominus tempore persecutionis S. Sedes aliquando dispensavit, uti fecit per S. C. Prop. Fid. 30 Nov. 1828. Cfr. Collectanea eius n. 807.

246. — II. Materia. Quantum ad materiam: 1º amictus et alba debent esse linea vel cannabea¹⁾; — 2º cingulum congruentius erit lineum²⁾; potest tamen etiam esse sericum vel ex gossypio, lana etc.³⁾; dein non sit fascia sed funis⁴⁾; — 3º reliqua paramenta conficienda sunt ex serico, subserico, vel ex aurea sive argentea textura; non licet proin ea conficere ex lino vel gossypio, vel lana, neque ex vitrea textura⁵⁾. Attenta ecclesiarum paupertate, tolerari potest ut illud adhibeatur panni genus, quod ex parte externa et oculis intuentium apparente ex filo serico integre conficitur, sed habet operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel lino.⁶⁾ Praeterea ubique, etiam in ecclesiis non pauperibus, adhiberi potest quoddam textum (vulgo dictum *gelsolino*) ex serico et mori fibris confectum, dummodo textum huiusmodi nunquam, nova adiecta materia, immutetur.⁷⁾

De serico *artificiali* responsum S. R. C. non habetur. Aliqui opinantur eius usum esse illicitum, quia non est verum sericum nec ei aequiparatur, sed consideratur tamquam surrogatum minus valens, prout etiam pretium eius prodit.⁸⁾ Alii benignorem opinionem sufficienter probabilem habent. Si enim usque ad inventum sericum artificiale Ecclesia voluit sericum, utique verum et naturale, hoc ideo fuit quia sericum artificiale nondum notum erat. De hoc serico Ecclesia sese hucusque nondum pronuntiavit neque opus est ipsa Ecclesia esse severiores.⁹⁾ Insuper nonnullae species serici artificialis etiam fila veri serici continent: sicut textum ex serico et mori fibris, de quo supra; vel saltem sicut alia opera textilia de quibus supra, apparentiam externam veri serici habent, ita ut earum usus saltem ratione paupertatis tolerari posse videatur, eo vel magis quod meliores species iuxta arte peritos chymice a serico naturali non distinguuntur, sed naturam imitantur, imo emendant. Attamen, extra casum paupertatis, usus serici artificialis non videtur commendabilis; ob maiores enim cultus dignitatem Ecclesia abhorret a materiis artificialibus, ut a luce electrica, candelis fietitiis, floribus chartaceis; atque praefert materias pretiosas pree materiis vi- lioris pretii.

Ad haec, paramenta non debent esse lacera aut scissa, sed integra, decenter munda, ac pulchra. Ita Missale *Rit. Miss. tit. I. n. 2.* Idcirco peccant sacerdotes paramenta immunda vel lacera adhibendo; et graviter quidem, si per quam immunda vel lacera essent; in necessitate tamen, nempe urgente praecepto audiendi Sacrum, nullum peccatum foret. Si non valde immunda vel lacera sint, erit veniale; imo nullum peccatum si alia haberri non possint. (n. 376.)

247. — III. Color. Paramenta altaris, celebrantis, et sacrorum ministrorum, debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei, secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: albo, rubro, viridi, violaceo, et nigro. Ita Missale *Rubric. gen. tit. 18.*

¹⁾ Ita S. R. C. 18 Maii 1819 (n. 2600.)

²⁾ Ita S. R. C. 22 Ian. 1701 ad 7 (n. 2067.)

³⁾ Ita ex S. R. C. 22 Ian. 1701 ad 7 (n. 2067) et 23 Dec. 1862 (n. 3118.)

⁴⁾ Ita S. R. C. 24 Nov. 1899 ad 6. (n. 4048.)

⁵⁾ Ita S. R. C. 23 Sept. 1837 ad V (n. 2769) et 11 Sept. 1847. (n. 2949.)

⁶⁾ Ita S. R. C. 23 Martii 1882. (n. 3543.)

⁷⁾ Ita S. R. C. 21 Aprilis 1893 (n. 3796.) Cfr. etiam *Eph. Lit.* 1893. p. 521 et 713; necnon 1888. p. 26, ubi et de aliis mixturiis dicuntur.

⁸⁾ Ita v. g. Fettinger *Pastoralchemie* p. 148.

⁹⁾ Ita Martens in *Handleiding voor Paramentiek.* p. 16.

Propterea prohibita sunt paramenta flavei aut caerulei coloris, uti declaravit S. S. R. C. 16 Mart. 1833. ad 4. n. 2704, 23 Febr. 1839. n. 2788.

Paramenta insuper debent *unius* esse coloris, vel certe unus color in eis praevalere, et pro hoc solo adhiberi possunt. Ita S. R. C. 23 Sept. 1837 ad V. n. 2769.

QUAER. 1º An sacra paramenta revera auro, maxima saltem ex parte, intexta, pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possint.

Resp. S. R. C. 28 April. 1866. n. 3145 et 20 Nov. 1885. ad 2. n. 3646 rescriptsit permitti propter pretiositatem.

QUAER. 2º An color paramentorum sit de paecepto.

Resp. Sunt qui negent. Sed est affirmandum; quia omnes Rubricae spectantes ad res, quae Missam concomitantur, paeceptivae sunt, ut infra n. 253 probabitur. Confirmatur Decretis S. R. C. 19 Dec. 1529. n. 2675. et 12 Nov. 1831 ad 50. n. 2682. Haec tamen Rubrica non obligat sub gravi, nisi scandalum oriretur, puta si quis in Missa festiva uteretur paramentis nigris. Unde rationabilis causa ab omni culpa excusat, v. g. si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris. Addit Sporer, satius esse Missam celebrare in colore indebito, quam celebrationem omittere. (n. 378. *dub. 5.*)

Notanda. 1º Quoad formam paramentorum adhibendorum pro Missae sacrificio et sacras functiones non licet, inconsulta Apostolica Sede, recedere ab usu in Ecclesia recepto aliumque modum ac formam, etiam antiquam, introducere; ita ex resp. S. R. C. 9 Dec. 1925. (*A. A. S. 1926. p. 58.*) Quod praesertim attendendum est relate ad paramenta styli quem dicunt gothici; quae, ubi in usu non sunt, introduci nequeunt inconsulta Apostolica Sede; ubi vero iam dudum iterum in communi usu venerunt, usus iste conservari posse videtur, quin opus sit Sanctam Sedem adire. Cfr. etiam *N. K. St. 1926. p. 140.*

2º Non licet sacerdotibus paramenta sumere de altari, vel ibidem ea deponere, nisi desit alias locus ubi possint; tune autem non ponantur in medio altaris, utpote quod solis Episcopis reservatur. Constat ex pluribus S. R. C. Declarationibus, imprimis 17 Iunii 1673. n. 1480, interpretantibus Rubricam *Rit. Miss. tit. 2. n. 2 et tit. 12. n. 6.* (n. 424 sub 5.)

248. — IV. Benedictio. Necessarium etiam ex paecepto est, ut hae vestes benedictae sint; quia est consuetudo Ecclesiae et paecepitur in Missali *Rit. Miss. tit. I. n. 2, De defect. tit. 10. n. 1.*

Haec benedictio sub gravi obligat, eodem modo quo vestes ipsae, secundum supra dicta; quia vestis non benedicta est res profana. (n. 377.)

Benedictionem autem impertire possunt ii, quos supra (n. 243. I. 4º) recensuimus.

249. — V. Exsecratio. Sacra paramenta ex can. 1305. § 1 benedictionem amittunt, quando ita dissolvuntur ut formam suam amittant, vel inhabilia sint ad usum sacram, ad quem destinata sunt, et quando ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerint.

Ita benedictio amittitur v. g. si manica albae omnino separetur, etiamsi postea reassuatur; si cingulum omnino rumpatur, ita ut neutra eius pars seorsum sufficiat ad cingendum; et ideo non potest adhiberi, etiamsi reficiatur; securus vero, si post ruptionem altera pars sit sufficiens, nam in illa manet benedictio. Item perditur benedictio, si ex alba conficiatur amictus, ex stola manipulus.

Si vestes sacrae reparantur per materiam assutam non benedictam, quae sit minoris quantitatis, haec participat benedictionem maioris, secundum dicta n. 232. 1º.

Denique, lacera paramenta, aut vetustate consumpta, sub gravi vetitum est ad usus profanos adhibere, sed comburenda sunt, et cineres in sacrario recondendi. (n. 371. 376.) Recole dicta tom. I. n. 443. Si vero benedictionem amiserint, etiam ad usus profanos, non tamen sordidos, adhiberi possunt. Cfr. can. 1510. § 1.

§ VI. - PRAEPARATIO SACERDOTIS ET GRATIARUM ACTIO.

250. — Can. 810 statuit: «Sacerdos ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem sese piis precibus disponere, eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere.» Sacerdos, qui sine ulla praeparatione ad sacrificandum accederet, ab aliqua culpa excusandus non foret; quia proxima praeparatio necessaria est, ut Sacrificium cum debita religione et pietate celebrari possit. (n. 410. *dub.* 2.)

Post Missam deberent sacerdotes saltem horae quadrantem gratiis agendis impendere, ne applicari ipsis possit, quod scripsit S. Bernardus *Epist. 2.* cuidam sacerdoti: «Heu! Quomodo Christum tam cito fastidis?» Quinimo optandum foret, ut, si nihil impediat, semihoram in gratiarum actionem conferrent. Ita S. Alf. in opusculo: *Missa et Officium festinata*. Recole quae diximus supra de gratiarum actione post S. Communionem n. 166. V.

251. — *Quaestiones. QUAER.* 1º *An et quantum peccatum sit celebrare Missam, NON RECITATO MATUTINO CUM LAUDIBUS.*

Resp. Alii dicunt esse mortale, alii nullum peccatum. Sed communius et verius docetur *veniale peccatum esse*, si fiat sine iusta causa.

Etenim aliquam esse culpam, probatur tum ex responso Innoc. IV: «Sacerdotes..... Missam celebrare, priusquam Officium matutinale compleverint, non praesumant;» tum ex Missali, ubi praecipitur *Rit. Miss. tit. I. n. 1 et 2 eiusque omissio inter defectus numeratur tit. 10. de defect.*; ea autem, quae inter defectus computantur, nequeunt esse de consilio dumtaxat. Hanc autem culpam non esse mortalem, probatur: *a) quia recitatio Officii non est instituta ut sit praeparatio ad Missam, sed propter se praecipitur ad publicam orationem in Ecclesia et pro Ecclesia faciendam; b) gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque consuetudine est recepta.*

Excusat quaelibet mediocris causa rationabilis, puta si quis impeditus fuit administratione Sacramentorum; si populus aut persona gravis exspectat; si Superior praecipit; si dans stipendum postulat ut statim celebretur; si instat commoditas studii, itineris, et similia. (n. 347. *Exam. Ord.* n. 113.)

QUAER. 2º *Quid dicendum si cantetur MISSA CONVENTUALIS et sollemnis ante recitatum in Choro Matutinum cum Laudibus.*

Resp. Communiter tradunt DD. esse peccatum mortale; nisi gravis et publica causa intercedat, ac scandalum vitetur; quia sic recepta est consuetudo in omnibus Ecclesiis, in quibus est obligatio dicendi Officium in Choro, ita ut graviter laederentur bonum commune, bonus ordo Ecclesiae, et publicus cultus Dei, si haec statutis temporibus et debito ordine non fiant. (n. 348.)

QUAER. 3º *An sit peccatum omittere ORATIONES ANTE VEL POST MISSAM assignatas.*

Resp. Quoad preces ante Missam communiter negant: quia Rubrica illas insinuat tantum, dum ait: Orationes pro opportunitate sacerdotis dicendae. Allegata ratio non attingit orationes, quae vestes induendo dicendae sunt; hae enim orationes moraliter pertinent ad Missam. (n. 410.)

Quoad *Canticum trium puerorum* cum orationibus annexis disputatur. Alii affirmant, quia *Canticum* praescriptum legitur in ipso Ordine Missae.¹⁾ Excusantur tamen qui *Canticum* memoria tenere non valent. Alii probabilius eius obligationem prorsus negant, quia non magis ad Missam pertinet quam *Orationes praeparatoriaiae*²⁾.

QUAER. 4º *An LOTIO MANUUM sub peccato obliget.*

Resp. Ante Missam debet fieri sub veniali: sed sub gravi, si manus essent valde immundae; propter reverentiam erga Sacrificium, et in significacionem spiritualis munditia, quam sacerdos habere debet; quare omni tempore, tam in veteri quam in nova Lege, erat altaris ministerio praemittenda. Post Missam vero omitti potest, cum non praescribatur. Ita Croix. Quarti. Roncag. Collet. Bened. XIV *De Sacrif. Miss. sect. 1. n. 64.* cum S. Thoma 3. qu. 83. a. 5. ad 1, et alii, (n. 409.)

§ VII. - RITUS SACER.

Ritus Missae comprehendit verba proferenda, actiones praestandas, et ministrum, qui celebranti inserviat. Singula expendemus, sed primo loco obligationem rituum generatim.

1. *Obligatio rituum generatim.*

252. — *Principia.* I. *Tenentur sacerdotes intra Missam servare integrum ritum Missae, prout in Missali Romano definitus est, sub pracepto ex genere suo gravi.* Probatur ex can. 818: «Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate et devote servet rubricas suorum rituum librorum, caueatque ne alias caeremonias, aut preces proprio arbitrio adiungat.» Constat etiam ex Trid. sess. 7. can. 13. et sess. 22. *decret. de observ. et evit.*; pariter ex Bulla S. Pii V. *Quo primum tempore* 12. Iulii 1570 in principio Missalis posita.³⁾ Accedit ratio huius pracepti, quia haec res gravis est, nam ad debitum cultum divinum spectat, ut tantum ministerium ordinate fiat. (n. 399.)

¹⁾ Vide *Rit. serv. in celebr. Missae. tit. XII. n. 6.* Cfr. *Eph. Liturg.* 1947. Pars altera: *Jus et praxis liturg.* p. 75.

²⁾ Ita ut videtur S. Alf. n. 410. *dub.* 2. Quarti p. 2. *tit.* 13. *dub.* 3. Cavalieri *tom. 5. cap. 2. n. 4.* De Herdt. *part. 2. n. 294.* in fine. *Theol. prakt. Quartalschr.* 1905. p. 122. J. Rabau in *Coll. Mechl.* 1947. p. 41. In nova editione *Preces et pia opera indulgentiis ditata.* 1938. canticum n. 690 ponitur sub precebus pro opportunitate dicendas et indulgentiis ditatur. Quoad argumentum ex hoc desumptum vid. e contra *Eph. lit.* 1947 l. c. et *Ami du Clergé* 1947. p. 681. Etiam *Variationes facientes in rubricis Missalis Romani* S. R. C. 1 Aug. 1938. (*A. A. S.* 1938. p. 294.) ubi fit distinctio inter preces dicendas iuxta rit. serv. etc. *tit. XII n. 6.* et pro opportunitate dicendas.

³⁾ Recole dicta supra n. 18 et *tom. I. n. 1109.*

II. Pariter vetantur sacerdotes alias caeremonias vel preces, quam quae in Missali continentur, addere vel recitare, aut quidquam in eis mutare. Ita expressis verbis Trid. sess. 22. *decret. de observ. et evit.* Bulla S. Pii, et S. R. C. 19 Aug. 1651 ad 2. n. 937, et confirmatur canone supra laudato. Cfr. etiam supra n. 18. (n. 399.)

Hinc, quando peccatur per *additionem*, si quidem id fiat animo mutandi vel addendi novum ritum, semper erit peccatum grave; si fiat ex importuna devotione, veniale erit, ob materiae levitatem. Quoad *omissionem*, si omittatur aliqua caeremonia gravis, specialem significationem continens, materia erit gravis; ut si quis omitteret vestem sacram praecipuam, mixtionem aquae cum vino: item, si omittantur caeremoniae leviores in notabili quantitate. (n. 400. 411.) Cfr. infra n. 254.

253. — Quaestiones. QUAER. 1º An OMNES Rubricae Missalis sint de preeceptio.

Resp. Controv. 1^a Sententia affirmat; quia: 1º Pius V iubet servare omnes Rubricas Missalis, quae ad Missae celebrationem referuntur, neque ullam distinctionem facit. 2º Rubricae ante sacerdotis accessum ad altare in Missali adnumerantur inter *Ritus servandos in celebratione Missae*. 3º Decretum generale S. R. C. Missali praemissum statuit: «Renovando Decreta alias facta, mandat Sacra Congregatio in omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Romani». ¹⁾

2^a Sententia, quam S. Alf. sequitur, distinguit hoc modo: preeceptivae sunt Rubricae *intra Missam* servandae; quod quidem indubium est ob rationes allatas in primo principio. Directivae tantum seu de consilio sunt Rubricae *extra Missam* servandae. Ratio huius est, quia Bulla iubet dumtaxat ut *Missa legatur ac decantetur* secundum Rubricas Missalis; dummodo ergo hoc fiat, impletur preeceptum; ea proinde, quae Missam omnino antecedunt vel subsequuntur, non cadunt sub preecepto.

Non obstat secunda ratio primae sententiae; nam titulus primus *Ritus servandi* inscribitur: *De preeparatione sacerdotis celebraturi*; needum proinde ibi agitur de ipsa celebratione Missae; contra vero, *Rubricae generales* omnes fere respiciunt servanda in actu celebrationis; ista ergo ratio nihil probat. Neque obstat tertia ratio; nam S. C. mandat *renovando Decreta antea facta*; ergo decretum eius intelligendum est secundum decreta a Pio V edita. (n. 399.)

Caeterum, cum paucae sint Rubricae, quae penitus extra Missam et hac ratione de consilio tantum servandae sunt, ambae sententiae in praxi parum discrepant.

QUAER. 2º An obligent Decreta et Declarationes S. R. Congregationis.

Resp. Decreta stricte sumpta, quae nempe in stricta decreti forma edita sunt, vel saltem in fine aliquam decreti clausulam habent, puta *ab omnibus servetur, servari ad omnibus mandat* etc., obligant. Quantum ad Declarationes, consule tom. I. n. 173. 3º.

Si alicubi consuetudo exsistat contra decreta S. R. C. haec per se quidem

¹⁾ Multi Auctores censent alias Rubricas esse preeceptivas, alias directivas. Preeceptivas dicunt obligare sub gravi, directivas sub levi. Sed, pace ipsorum, haec doctrina non sibi congruit; repugnat enim dicere Rubricas esse tantum directivas, et obligare ad culpam; quia, si obligant, revera potius preeceptivae quam directivas dici debent» (n. 199.)

abrogata est.¹⁾ Nihilominus simplex sacerdos regulariter Ordinarii mandatum exspectare debet. Hic consuetudinem S. Congregationi proponat, quae eam servandam vel eliminandam esse declarat. Porro S. R. C. constanter tolerat consuetudinem, saltem immemorialem, contrariam rubricis, in rebus levioris momenti, quae nullam deformitatem continent; cui proinde se conformare licet.²⁾ (n. 401.)

QUAER. 3º *An obliget Caeremoniale Episcoporum.*

Resp. Affirm. Rubricae in eo praescriptae ubique obligant, cum in tribus Bullis ei praefixis dicatur: «Caeremoniale praedictum in omnibus Ecclesiis servandum, praecipue in Cathedralibus et Collegiatis». Caeremoniale enim est Missalis complementum in Officiis sollemnibus. Ita quoque rescripsit S. R. C. 17 Aug. 1894. n. 3839. (Exam. Ord. n. 112.)

QUAER. 4º *An omissio quarundam caeremoniarum propter impotentiam excusari possit a culpa.*

Resp. Excusari potest omissio leviarum caeremoniarum, ut sunt v. g. inclinationes profundaes, genuflexiones usque ad terram, dummodo caveatur scandalum populi, absitque gravis indecentia. Quocirca DD. celebrationem communiter permittunt sacerdoti, qui sine baculo nequit ad altare accedere. Plures etiam indulgent sacerdoti, qui non potest Hostiam supra caput elevare, dummodo populus moneatur. (n. 402.)

2. *Ritus recitandorum.*

254. — **Omissio.** Quoad omissionem partium Missae, oportet distinguere partes ordinarias ab extraordinariis. Partes *ordinariae* illae sunt, quae semper dicuntur: *extraordinariae*, quae non in omni Missa dicuntur.

I. *Omittere partes ORDINARIAS est peccatum grave, nisi levitas materiae excusat.*

Quare DD. censem in hac augusta actione materiam gravem esse: a) omittere Confessionem cum aliis in principio Missae, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, panis et vini oblationem, Praefationem, *Pater noster* et *Libera nos*, fractionem Hostiae et illius mixtionem cum Sanguine. b) In Canone omittere quamlibet orationem vel eius verba ita mutare ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt, vel denique omittere decem nomina Sanctorum. (n. 404. 405.)

Materia levis est: a) omittere Psalmum *Iudica*, *Kyrie eleison*, Evangelium S. Joannis, unam ex tribus Collectis principalibus. b) Mutilare verba, salvo sensu et secluso scandalo; sed hoc nullum erit peccatum, si ex defectu naturali proveniat. —n. 406. 407. Exam. Ord. n. 125.)

II. *Omittere partes EXTRAORDINARIAS solummodo veniale est; nisi tot partes omittantur, quae simul sumptae notabilem materiam constituunt.*

Unde veniale erit omittere *Gloria*, aut *Credo*, Commemorations, Sequentiam, Tractum, Praefationem *propriam*, vel ea quae in *quibusdam* Octavis interponenda sunt in oratione *Communicantes* aut *Hanc igitur*. (n. 409.)

¹⁾ S. R. C. 8 Ian. 1904. A. S. S. XXXVI. p. 428. Cfr. supra n. 18.

²⁾ S. R. C. 7 Iulii 1612. n. 299; 23 Sept. 1820. n. 2609.

255. — QUAER. 1º *An peccet sacerdos, si in Missa sollemni non recitat ea, quae cantantur a Ministro vel a Choro.*

Resp. Affirm.; quia recitatio praescribitur a Rubrica *Rit. Miss. IV.* 7, VI. 4. 5. Sed probabiliter peccat venialiter tantum; quia partes illae revera non omittuntur, et in Missa sollemni Celebrans, Ministri et Chorus unum totum componunt. (*n. 410. dub. 4.*)

QUAER. 2º *Si sacerdos ex oblivione aliquid in Missa omittat; postquam vero aliquantulum progressus est, recordetur, an debeat recitare quae omisit.*

Resp. Negat.; quia turbaret ordinem Missae; nisi esset de substantia Sacrificii, ut tradit *Missale De defect. tit. 5. n. 2.* vel, dum secreto orat, post pauca verba certo adverteret se quidquam notabile omisisse. Pariter non repetere debet, si v. g. Evangelium aut Epistolam indebitam recitaverit. (*n. 403.*)

256. — Additio. Si addatur aliquid notabile, est ex genere suo mortale: si quid leve addatur ex indiscreta devotione, veniale erit.

Hinc veniale est: a) recitare plures commemorationes, quam Rubricae permittunt, ut constat insuper ex Declar. S. R. C. 27 Mart. 1779 ad 6 n. 2514, et 7 Sept. 1850 ad 3. n. 2981. — b) In Missa sollemni, dum cantatur *Gloria et Credo*, e libro Horam canonicam recitare, ut constat etiam ex resp. S. R. C. 20 Mart. 1869 ad 9. n. 3201. — c) Addere in confessione, et multo magis in Canone, nomen alicuius Sancti. — d) Ad elevationem submissa voce quaedam pia verba proferre: cfr. S. C. Rir. 6 Nov. 1925. ad I. (*A. A. S.* 1926. p. 21.) (*n. 411.*)

257. — Mutatio. *Peccatum veniale erit:* 1º ea, quae clara voce dicenda praecipiuntur, voce submissa recitare, ita ut a circumstantibus audiri non possint; aut e converso, clara voce recitare ea, quae secreto dicenda sunt; vel denique ea, quae secreto recitanda sunt, tam suppressa voce dicere, ut sacerdos semetipsum audire nequeat. Hoc ultimum esset gravis culpa, si ita proferret verba Consecrationis. (*n. 413-416. Exam. Ord. n. 125.*)

2º In Missa sollemni non cantare ea, quae cantanda praecipiuntur a Rubrica *tit. 16. n. 3.*

3º Mutare Missam *diei*, secundum praescriptum Missalis ordinem, in aliam contra regulas Missalis. DD. communiter censem hanc ordinis perversionem, secluso scandalo et contemptu, non esse peccatum mortale.

Quoad Missas *Requiem*, S. R. C. Decreto 5 Aug. 1662. n. 1238. approbato ab Alexandro VII, « districte praecipit sacerdotibus... ut Missas privatas de *Requiem* in duplicebus nullatenus celebrare audeant vel praesumant... Currentque Ecclesiarum Rectores ut huiusmodi Decretum inviolate servetur ». (*n. 420.*) Hodie facile conceditur Indultum Apostolicum celebrandi duas Missas *Requiem* per singulas hebdomades. — Quoad Missas *votivas privatas*, Rubrica missalis *tit. 4. n. 3*, et plenius Rubrica ante Missas votivas, decernit: « Licet pro sacerdotis devotione quacumque die permissa dici possint, hoc tamen *passim*, nisi rationabili de causa, fieri non debet ». (*n. 419.*)¹⁾

¹⁾ Sacerdos caecutiens a S. Pont. seu S. R. Congr. dispensationem obtinere potest celebrandi semper aut Missam votivam de B. M. V. aut Missam quotidianam defunct. Quoad normas observandas cfr. Instr. S. R. C. 12 Ian. 1921. (*A. A. S.* 1921. p. 154; *Rit. Rom. App. de Sanct. Euchar.*)

3. *Ritus agendorum.*

258. — I. Sacerdos, qui ad celebrandum accedit, debet esse « calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat. » Ita Missale *Rit. Miss. tit. 1. n. 2.* Item canon 811. § 1: « Sacerdos Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat. »

Utendum est calceis, quibus Clerici publice uti solent, ut declaravit S. R. C. 31 Aug. 1872, ad 3 n. 3268; ex justa causa fas est uti crepidis nigri coloris. (n. 402.) — Admodum dedecet celebrare cum calceis lutosis: quapropter ab aliqua culpa excusari nequit. — Non minus deformis est, divinum Sacrificium celebrare sine veste talari; contra hunc abusum Benedictus XIV, dum Archiepiscopus erat, poenas decreverat in *Instit. 34 § 4. 1.*¹⁾

II. Peccatum veniale est omittere benedictiones, inclinationes, genuflexiones, etc., uti praescribuntur in Rubrica. Item, advertenter non genuflectere usque ad terram, perturbare benedictiones, etc. Imo possunt huiusmodi omissions evadere mortiferae, si quis has caeremonias omitteret in notabili quantitate; quam ob causam non excusatur a mortali sacerdos Sacrum absolvens infra quadrantem. (n. 400. 406.)

III. Venialiter peccat sacerdos, qui in purificatione calicis sola aqua uteretur, nisi abstemius esset; item, si sine rationabili causa id faceret in ablutione digitorum. (n. 408.)

259. — Quaestiones. QUAER. 1º *An liceat in Missa uti pileolo.*

Resp. Negat., ex can. 811. § 2: « Abstineat autem a pileolo et annulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, vel Abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorumdem usum in Missa celebranda eidem permittat. »

Hinc totam Missam tecto capite celebrare, peccatum mortale esset; secus vero probabiliter, si fieret usque ad Canonem, secluso contemptu et scandalo. Unde probabiliter non esset illicitum, sine dispensatione celebrare cum pileolo (dummodo detrahatur ante Canonem usque ad finem Communionis) ex necessitate vitandi frigoris vel doloris capitis ob senectutem vel morbum sacerdotis, ita ut non posset nudo capite celebrare sine notabili incommmodo; quia, ut ait Bened. XIV, non videtur Apostolica Sedes ita eam licentiam reservasse, ut illicitum voluerit declarare, quod quis in aliquo casu extraordinario, qui supervenerit, vel propter morbum minime diutinum, fecerit. (*De Sacr. Miss. Sect. 1. n. 53.*)

Pileoli nomine comprehenditur etiam *coma fictitia*, quae quidem, cum per totam Missam gestetur, gestari nullo pacto potest sine dispensatione Apostolica. (n. 397. 398. Bened. XIV *De syn. lib. II. cap. 9.*)

QUAER. 2º *An aliquando liceat Missam interrumpere.*

Resp. Dist. 1º De industria *mutilare Sacrificium* nunquam licet, ne ad mortem quidem vitandam; non enim licet panem consecrare animo non consecrandi vinum, neque consecrare utrumque animo non sumendi, contra Christi institu-

¹⁾ Cfr. etiam S. C. Cone. 28 Jul. 1931. (*A. A. S. XXIII. 1931. p. 336.*)

tionem. Dico *de industria*; nam invite ob urgentem necessitatem supervenientem, sacerdos excusatur a perficiendo Sacrificium; puta ob periculum mortis ab hostibus vel incendio vel terrae motu inferenda; item ob periculum iniuriae Sacramento facienda ab impiis; tunc potest sacerdos Sacramentum statim sumere vel secum auferre; quod quidem facere *debet*, si adsit periculum iniuriae Sacramenti. Cfr. Missale *de defect. tit. 10. n. 2.* (n. 302.)

2º *Interrumpere* Missam licet in hisce casibus: a) Cum, dicto Evangelio, fit concio, vel quaedam populo nuntianda sunt. — b) Tam ante quam post Consecrationem, si gravis urgeat necessitas necessarium Sacramentum ministrandi proxime morituro, puta Baptismum, Poenitentiam, vel, si Poenitentiam recipere nequeat, Extremam Unctionem. Post Consecrationem Viaticum ministrandum non esset, nisi moriturus prope esset, ita ut vestes exuere necesse non foret. Insuper, si facta sit Consecratio curet sacerdos ut Sacramentum interim custodiatur, vel illud in tabernaculo occludat; et postquam redierit, Missam inde, ubi eam intermisit, prosequatur. Si facta non fuerit Consecratio, et parva mora intercesserit, v. g. infra horam, prosequatur ubi desiit; si autem longior, ordiatur ab initio. — c) Si gravis morbus, vel alia gravis corporis necessitas, quam sacerdos sustinere non valet, superveniat; tunc, necessitate cessante, agat ut in praecedenti casu dictum est. Quod si morbus talis sit ut redire et Sacrificium perficere nequeat, quid faciendum sit, exponetur in sequenti quaestione. (n. 353. 354.) — d) Quoties legibus liturgicis permittitur, uti in Missa, intra quam professio religiosa emittitur. (S. R. C. 27 Aug. 1894. n. 3836, 5 Iunii 1896. n. 3912.)

3º *Relinquenda* est Missa incopta, dummodo sine scandalo aut gravi notari possit, si ante Consecrationem sacerdos recordatur alicuius impedimenti, v. g. se non esse iejunum vel in statu gratiae, vel esse irregularem, aut excommunicatum. Ita Missale *de defect. tit. 8.* et DD. communiter. Item, si excommunicatus *vitandus* praesumat interesse, nec expelli possit; nisi a cessatione excusat grave incommodum. (can. 2259. § 2.) Cfr. infra n. 1002. (n. 353.)

QUAER. 3º *Quandonam Missa, ab uno sacerdote abrupta, ab alio perficienda sit.*

Resp. Dist. Si sacerdos *ante Consecrationem* graviter infirmatur, vel in syncopem incidit, aut moritur, praetermittitur Missa. — Si post *Consecrationem*, etiam unius tantum speciei, id accidit, debet alius sacerdos Missam explere, ab eo loco ubi primus sacerdos desierit; et in casu necessitatis etiam non iejunus, cum maior sit vis praecepti integritatis Sacrificii, quam ieunii. Ita Missale *de defect. tit. 10. n. 3.* — Denique si sacerdos deficit *post sumptionem solius Corporis Christi*, calix ab alio est sumendus.

Circa duos posteriores casus observandum est: a) Si sacerdos, qui defecit, post aliquod tempus vires resumpturus videatur, etsi iejunus non sit, praestat exspectare, ut ipse Sacrificium suum perficiat. b) Si sacerdos, qui suppleat, nullus adsit, probabiliter non est obligatio aliquem quaerendi ultra horam; quia iam deficeret unio moralis. (n. 355.) Bened. XIV¹⁾ docet, quod si non reperiatur sacerdos, qui ante meridiem possit Missam perficere, potest Hostia et Calix condi in tabernaculo, ut postero die sacerdos, qui Missam celebrabit, ea sumat ante purificationem.

¹⁾ *De Sacrif. Missae sect. 2. n. 110.*

4. *Minister celebrantis.*

260. — Nulli sacerdoti celebranti, praeter Episcopos aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, licet solo honoris aut sollemnitatis causa habere *presbyterum assistentem*. (can. 812.)

Attamen ex decisione S. C. R. usus tolerari potest, in prima Missa novi sacerdotis, eandem sollemniter celebrantibus, ut assistat, praeter sacros ministros, unus presbyter cum superpelliceo et pluviali, cui tamen prohibitae sunt aliquae actiones, veluti aspersio aquae benedictae ante Missam, gestatio stolae subtus pluviale, ministratio patenae ad fidelium communionem, incensatio celebrantibus facienda loco diaconi etc.¹⁾

Insuper, in nonnullis casibus adhiberi potest presbyter assistens ad librum cum solo superpelliceo, ut in primis Missis privatis neo-sacerdotum; imo in hoc casu presbyter assistens *potest* assumere stolam a principio Missae usque ad finem vel ab initio Canonis usque ad sumptionem, iuxta consuetudinem. Cfr. S. C. R. 11 Iun. 1880. *ad VII. n. 3515.*

II. Sacerdos Missam ne celebret *sine ministro* qui eidem inserviat et respondeat. (can. 813. § 1)²⁾ Omnes autem fatentur hoc praescriptum grave esse.³⁾ In gravi tamen necessitate, puta ad ministrandum Viaticum in defectu Hostiarum, potest sacerdos sine ministro celebrare, sibique ipsem et respondere. Idem concedunt nonnulli, si aliter die festo non esset copia Missae audiendae idque etiam si ageretur de ipso Sacerdote tantum. Probabile quoque est quod fas sit Sacerdoti pergere sine ministro, si coepita iam Missa minister abscesserit et brevi non revertatur, praesertim si hoc contingat post factam oblationem. (*n. 391.*)

Non licet simplici sacerdoti in Missa privata adhibere duos ministros, ratione alicuius *personalis distinctionis ac praeeminentiae*; licet vero ratione *maioris sollemnitatis Festi vel Missae*. Ita declaravit S. R. C. 12 Sept. 1857 *ad VII. n. 3059.*

III. Minister Missae inserviens *ne sit mulier* nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat. (can. 813. § 2.)

IV. Rubricae Missalis circa ritum servandum tum a ministro in Missa privata tum multo magis a Ministris sacris in Missa sollempni, obligant sub praeecepto. Ratio est, quia pertinent ad ritum ipsius Missae celebrandae, atque ideo cadunt sub praeecepto Pii V. (*n. 391.*)

Quocirca notandum est: 1º Minister, etiamsi laicus sit, veste talari et superpelliceo indutus esse debet. Ita Missale Rit. Miss. tit. 2. n. 1. et Decl. S. R. C. Dec. 1885. *ad 6 et 7. n. 3647.*

¹⁾ S. R. C. 1 Dec. 1882. *ad II. n. 3564* Vide ibidem *ad I* aliam exceptionem ex consuetudine immemorabilis pro canonico. Cfr. etiam N. K. St. 1918. p. 214.

²⁾ Cfr. Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (*A. A. S. 1947. p. 557.*)

³⁾ Ratio ponenda videtur in eo, quod minister repreaesentet populum fidelem. Cfr. König in *Theol. prakt. Quart.* 1941 p. 51-54. O' Brien in *Amer. eccl. rev.* 1947. I. p. 432-447. Propterea inter normas pro indulto concedendo celebrandi Missam sine ministro clausula adicitur « dummodo aliquis fidelis Sacro assistat » cui nulimode derogari praestat. Ita Instruct. S. C. Sacram. 1 Oct. 1949. (*A. A. S. 1949. p. 506 sqq.*)

2º Campanula pulsanda est ad Sanctus et ad Elevationem, et expedit ut etiam fiat paulo ante Consecrationem; ita in Missa privata (Miss. Rom. *tit. 7. n. 8. et it. 8. n. 6.*) et etiam Missis soll. seu cantatis et in pontificalibus. (S. R. C. 25 Oct. 1922. *A. A. S. 1922-p. 557.*) Nequit campanula pulsari intra Missam durante expos. SS. Sacr. (S. R. C. 5 Sept. 1867. ad 10. *n. 3157*), nec dum horae canonicae in choro persolvuntur, nec dum publica supplicatio in Eccl. celebratur. (S. R. C. 21 Nov. 1893. *n. 3814.*)

3º Probabiliter non debet sacerdos serupulo affici, si minister *male pronuntiet*; neque facile debet huius errores corrigere, ne turbet seipsum, vel circumstantes, vel ordinem Missae; bene tamen facit, si supplet responsa *omissa* a ministro. (*n. 391.*)

4º Loco ministri etiam totus coetus fidelium astantium respondere potest sive verbo sive canto; ¹⁾ immo *laudandi* sunt qui etiam hoc modo externo participationem fidelium in Sacrificio Missae efficere contendunt. ²⁾ Observandae tamen in hoc sunt normae sive a S. R. C. ³⁾ sive ab Ordinario ⁴⁾ praescriptae. (cfr. etiam *tom. I. n. 411. 2º*)

5º Minor necessitas sufficit ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam omnino sine ministro. (*n. 391.*)

6º Curandum est parochis, ne ministri tanti Sacrificii sint pueri immorigeri, incapaces aut petulanties, qui astantes distrahant vel ad risum movent; sicut neque homines viles aut sordidi. Ipsi opportune excolantur et ad reverenter munus suum obeundum rite instruantur. Atque omnibus viribus curandum ne in populo christiano ii desiderentur qui in augusto conficiendo Sacrificio respondeant ac famulentur.⁵⁾

¹⁾ Recolendae exhortationes SS. Pontificum ut cantus Gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur, quo actuosius fideles divinum cultum participant. Ita Pius XI Const. *Divini cultus*. 20 Dec. 1928. (*A. A. S. 1929. p. 33.*) Pius X Motu proprio *Tra le sollecitudini*. 22 Nov. 1903. (*A. S. S. 36 [1903-1904] p. 339.*) Pius XII Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (*A. A. S. 1947. p. 589.*)

²⁾ Pius XII Encycl. *Mediator Dei l. c. p. 560.*

³⁾ Ita v. g. nullo in casu permitti potest quod fideles astantes elata voce legant ea, quae fuxta rubricas ab ipso sacerdote secreto dici debent. S. R. C. 4 Aug. 1922. (*A. A. S. 1922. p. 505.*)

⁴⁾ S. R. C. 30 Nov. 1935. cfr. *Periodica* 1936. *p. 57.*

⁵⁾ Pius XII Encycl. *Mediator Dei l. c. p. 592.*